JESU CHRISTI
SACRA NATALITIA

PIE CELEBRANDA

ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALENSIS CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATAE

CIVIBUS

INDICIT

PRORECTOR

CUM CANCELLARIO DIRECTORE ET SENATU

PRAEMISSA EST

GUIL. GESENII

PHIL. ET THEOL. D. HUJUSQUE P. P. O.

THEOL. ORD. H. T. DECANI

DE INSCRIPTIONE PHOENICIO-GRAECA IN CYRENAICA NUPER REPERTA AD CARPOCRATIANORUM HAERESIN PERTINENTE COMMENTATIO.

CUM TABULA LAPIDI INSCRIPTA.

HALAE,

IN LIBRARIA RENGERIANA.

De inscriptione phoenicio-graeca in Cyrenaica nuper reperta ad Carpocratianorum haeresin pertinente Commentatio historico-philologica.

Antiquitatis christianae fontibus haud contemnendis merito ab omnibus fere, qui in hoc argumento versati sunt accuratius [1]), annumerantur *inscriptiones ad res christianas pertinentes,* quarum haud paucae in GRUTERI, FABRETTII, REINESII [2]) aliorumque id genus thesauris extant, non indignae illae, quae in usum antiquitatis christianae denuo perquirantur ab homine harum literarum perito. Sed plurimae tamen earum, ut quae vel ad privatorum hominum vitam, conjugia et sepulturam, vel ad sanctorum martyrumque cultum, vel ad aedes sacras exstruendas, inaugurandas instaurandasque pertinere solent, nonnisi singularum regionum et ecclesiarum historiam et topographiam aliasque hujus generis res externas attingunt: paucae obscurius aliquod veteris ecclesiae caput vel illustrant vel confirmant: paucissimae denique sermone literisque orientalibus exaratae ita comparatae sunt, ut eorum, qui Orientis studiis vacant, et curas requirant et rationibus inscr-

1) Reliquis, quos inspexi, autoribus copiosius libros huc pertinentes recensuit Ven. DANZIUS (Lehrgeb. d. Kirchengeschichte T. I. p. XI). Parum accurate vero Ven. STAEUDLINUS (*Universalgesch. d. christl. Kirche, 2te Ausg. Hannover* 1816 p. 10) *inscriptiones* ad fontes historiae *non scriptas* retulit: *„Die Quellen sind entweder schriftlich oder nichtschriftlich..... Zu den nichtschriftlichen Quellen oder Documenten gehören Werke der Kunst, Gebäude, Bildsäulen, Grabmäler, Münzen, Steinschriften, Gemälde."*

2) JAN. GRUTERI Corpus inscriptt. c. annot. Io. GE. GRAEVII (Amstelod. 1707 fol.) T. II. 1048-62. 1163-1177. THOM. REINESII Syntagma inscriptt. antiqu., cumprimis Romae veteris, quarum omissa est recensio in JANI GRUTERI opere (Lips. 1682 fol.) Cl. XX. p. 897—1006. FABRETTI thes. inscriptt. cap. VIII. p. 545 sq. Adde M. GUDII, LUD. ANT. MURATORII, RICH. POCOCKII aliorumque opera, nec non MUENTERI *Symbolas ad interpretationem N. T. ex marmoribus, nummis lapidibusque caelatis in Miscellaneis Hafniensibus* T. I. fasc. I. no. 1. Nonnullas christianae originis inscriptiones graecas in Auranitide veterum repertas nuper edidimus et, quoad fieri potuit, restituimus in J. L. BURKHARDTI *itiner. in Syriam* cet. germ. edito T. I. p. 123. 124. 128. 146. 174. 192. 192. 368. 375 coll. 528. 529.

viant [3]). Quo magis insigne est monumentum aliquod bilingue phoenicio-graecum, ad Gnosticorum doctrinam et instituta haud dubie pertinens, quod in ruderibus veteris Cyrenes (hodie *Grenne* in regno Tripolitano) [3 b] una cum alio simili, sed graece duntaxat scripto, nuper effossum et Melitam advectum, ibi penes metatorum gallicorum praefectum asservatur, cujusque exemplum accuratissime expressum ad Parisienses et Berolinenses quoque missum amici cujusdam benevolentia mecum communicatum est. Atque huic edendo illustrandoque data hac scribendi opportunitate operam daturi, speramus fore, ut et apud antiquitatis christianae studiosos et apud palaeographos aliquam gratiam ineamus, et apud Vos, Cives, quos in utraque hac disciplina per hoc semestre assiduos habemus auditores, quorumque rationibus haec scribendi materia prae caeteris apta fuerit. Intelligetis enim, in his etiam disciplinis verissimum esse illud Tullianum (pro Arch. cap. I.) „... *omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur.*"

Disputationem nostram ita instituamus, ut *primum* de *Carpocratianorum*, quibus hanc inscriptionem vindicaturi sumus, haeresi, aliisque quibusdam huic finitimis pro consilii nostri ratione agamus; *deinde* graecanicam inscriptionis partem, utpote intellectu faciliorem, ex horum Gnosticorum doctrina et institutis illustremus, *tum* phoenicia vel si mavis hebraeo-chaldaica aggrediamur, et quoad fieri poterit, enodemus, quo facto *denique* in emblematis illustrandis non multum negotii supererit. Ac in primo quidem capite ita versabimur, ut iis quae notiora sunt magisque obvia leviter tantum et strictim commemoratis, paulo accuratius ea persequamur, quae cum proposito nostro propius conjuncta sunt. In his autem conscribendis dicere vix possumus quantopere et adjuti fuerimus et delectati peculiari quadam, quae hoc ipso anno prodiit, de his Gnosticis commentatione [4]),

3) Ad inscriptiones orientales, quae *Christianos* autores habent, referendae videntur inscriptiones illae, quae in peninsula montis Sinai iam a Cosma Indicopleusta observatae, recentiori memoria a NIEBUHRIO, SEETZENIO et J. L. BURKHARDTO descriptae sunt, a V. V. quibusdam D. D. Israëlitis in deserto oberrantibus tributae. Vide quae monuimus in notis ad Burkhardti itinerarium T. II. pag. 1071 — 1073. Ad Gnosticorum res pertinent *inscriptiones copticae*, *hebraicae* et *graecae*, quae, et graeco quidem charactere, gemmis amuletisque Basilidianorum insculptae reperiuntur, v. Ven. BELLERMANNI *Versuch über die Gemmen der Alten mit dem Abraxas-Bilde*. Fasc. I. II. III. Berol. 1817. 19 in oct. Cf. *A. L. Z.* 1818. no. 192, et infra cap. 2 init. Eximiam praeterea hujus generis gemmarum copiam aere expressam habes in hoc opere, cujus, utpote a BELLERMANNO non memorati, notitiam et usum Ill. BOETTIGERO Dresdensi debeo: *Prodromus iconicus sculptilium gemmarum, Basilidiani, amuletici atque talismani generis, de musaeo Antonii Capello, Senatoris Veneti*. Venetiis 1702 fol., cunctaeque, numero CCLXVIII, gemmae in hoc libro descriptae hodie in museo Casselano exstare dicuntur. — Neque dissimulandum, quosdam dubiae vel sublestae fidei inscriptiones christianas errorum fecundas matres factas esse, ut illa de Christianis hispanis et lusitanicis a Nerone vexatis ap. GRUTERUM T. I. p. 238 no. 9. cf. FERRERAS *histoire de l'Espagne* T. I. p. 192.

3 b) Recentissimam veteris Cyrenes descriptionem lectu dignissimam dedit DELLA CELLA (*Viaggio da Tripoli di Barbaria alle frontiere occidentali dell'Egitto fatto nel* 1817 *dal Dr.* P. DELLA CELLA, Genova 1819. 8. cum mappis geographicis, inscriptionibus et nummis, epist. XI. XII.)

4) GOTTL. HENR. LUD. FULDNER Smalcaldicus *de Carpocratianis*, quae commentatio, sermonis

in qua omnis eorum causa tanta doctrina tantaque judicandi subtilitate tractata est, ut aliorum paulo exiliores commentarios longo spatio post se reliquisse censendus sit doctissimus auctor.

Ipsum monumentum ad exempli mihi traditi similitudinem accuratissime lapidi inscribendum curavi: eoque edendo et illustrando si aliquid certe ad rerum gnosticarum studium, nunc cummaxime apud nostrates vigens [5]), aequis peritisque hujus rei existimatoribus contulisse visus fuero, satis magnum hujus mei laboris fructum percepero.

CAP. I.

De Carpocratianorum aliorumque similium Gnosticorum historia, doctrina et institutis [6]).

Inter omnes Gnosticorum familias, quae ineunte saeculo post servatorem natum secundo in Syria et in Aegypto [7]) tanta vi grassari coeperunt, ut non parum periclitaretur ecclesia ab Apostolis propagata, nulla et morum praeceptis exitiosior et sectatorum flagitiis famosior fuit Carpocratianis, quos consonans paene S. S. Patrum vox tantorum scelerum reos pronuntiat, ut essent inter recentiores, qui aut scriptorum ecclesiasticorum auctoritatem infringerent, aut nefandos istos homines Christianos unquam fuisse negarent [8]). Etenim et mulierum communitatem com-

quoque latini elegantia conspicua, in CAR. FRID. ILLGENII sylloge, quae inscribitur: *Historisch-theologische Abhandlungen. Dritte Denkschrift der historisch-theologischen Gesellschaft zu Leipzig* 1824 8, *quinta* est, et pag. 180 — 290 legitur. Ex iis, qui ante eum Carpocratianorum res persecuti sunt, conferri possunt: TILLEMONT *memoires pour servir à l'histoire ecclesiastique* T. II. p. 254. MOSHEMIUS de rebus Christianorum ante Const. Magnum p. 361. NEANDER *Entwickelung der vornehmsten gnostischen Systeme* pag. 355, aliique a FULDNERO pag. 183 laudati.

5) Notiores sunt AUG. NEANDRI, E. A. LEWALDI, AUG. HAHNII V. V. D. D. vel de universa Gnosi, vel de singulorum Gnosticorum rebus commentarii, quam ut copiosius de iis referre necesse sit.

6) Praecipua P. P. loca de Carpocratianis sunt apud *Irenaeum* adv. haeres. I, 24. 35. CLEM. ALEX. Strom. lib. III, 2. EUSEB. hist. eccles. IV, 7. EPIPHAN. haeres. XXVII. XXXII, 3, quibus addendi THEODORETUS haeret. fab. I, 5. (Pseudo-) TERTULLIAN. de praescr. haeret. c. 48. PHILASTRIUS de haeres. cap. XXXV. AUGUSTINUS de haeres. cap. VII. (ed. Danaei, Genevae 1576).

7) De discrimine inter Syrorum Aegyptiorumque gnosin bene nuper admonuit doctissimus GIESELERUS in libro praestante: *Lehrbuch der Kirchengeschichte* T. I. p. 26, et similia olim nos in censura operis NEANDRIANI *Jen. A. L. Z.* 1821, no. 12.

8) Utramque sententiam recte, me judice, refellit FULDNERUS, libro laudato p. 261 sq. Ac prior quidem est MOSHEMII (l. c. p. 369), et MUENTERI (*kirchl. Alterthümer der Gnostiker* p. 176): posterior J. E. CHR. SCHMIDTII (*Handb. der christl. Kirchengeschichte* p. 244): „*Diesen (den Nachrichten des Klemens) zufolge, hat man keinen Grund diese beyden Männer als christliche Ketzer anzusehn,*“ et de Adamitis p. 272: „*Wer nur das Christenthum so entehren konnte, dafs er solche Leute als christliche Ketzer vorführte?*“ Bene consultum esset veteris ecclesiae honori et existimationi, si verum vidisset Ven. SCHMIDTIUS; sed

mendasse, et coëundi ardorem tanquam a Deo ingenitum, neque legibus moribusque expellendum in ipsis nocturnis conventibus explesse dicuntur, ac docuisse, nulli animae viam ad supremam felicitatem patere, nisi quae omnia, quae cogitari possunt, scelera et flagitia perpetraverit. Horum, quae ultimo loco posuimus, veritatem in medio relinquimus [9]), sed bonorum mulierumque communitatem in praecipuis sectae placitis fuisse, vel e nostro documento patebit.

Famosissimae hujus haereseos auctor fuisse fertur CARPOCRATES Alexandrinus, ita tamen, ut filius ejus EPIPHANES e matre Alexandria muliere Cephallenea prognatus, praecocis ingenii juvenis et pereruditus, patre, quem in artibus liberalibus et in Platonismo magistrum habuit, celebrior factus, dogmata paterna exornando et divulgando novae scholae conditor factus sit, ac post mortem praematuram ab incolis urbis Samae in insula Cephallenia inter Deos relatus [10]). Semel stabilita nefaria haeresis una cum Basilidiana et Valentiniana Hadriano fere regnante [11]), late per occidentem serpsit, atque inprimis Romae, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluere solebant et celebrari [12]), pedem fixit, Marcellina [13]), famosissima muliere, multos in suas partes trahente, ita tamen ut Aegyptus et Africae ora, ni fallor, domicilium ejus et solum quasi natale essent [14]). In Aegypto certe vixisse videtur Prodicus [15]), qui post illos

ut unum regeramus, cur doluissent Clemens Alexandrinus aliique ecclesiae Patres, nomini Christiano his hominibus labem quandam adspergi, et quidni potius eos Christianos esse omnino negassent, nisi ab omnibus aequalibus tales habiti talesque se ipsos professi essent? Cf. not. 26.

9) MOSHEM. l. c. In his illud, quod tertio loco posui, meram esse calumniam opinor, ex dogmate forte quodam eius non satis intellecto expressum.

10) CLEMENS Strom. III, §. 2: *οἱ δὲ ἀπὸ Καρποκράτους καὶ Ἐπιφάνους ἀναγόμενοι, κοινὰς εἶναι τὰς γυναῖκας ἀξιοῦσιν. ἐξ ὧν ἡ μεγίστη κατὰ τοῦ ὀνόματος* (nomen christianum intelligit) *ἐῤῥύη βλασφημία. Ἐπιφάνης οὗτος, οὗ καὶ τὰ συγγράμματα κομίζεται, υἱὸς ἦν Καρποκράτους καὶ μητρὸς Ἀλεξανδρείας τοὔνομα· τὰ μὲν πρὸς πατρὸς Ἀλεξανδρεύς· ἀπὸ δὲ μητρὸς Κεφαλληνεύς· ἔζησε δὲ τὰ πάντα ἔτη ἑπτακαίδεκα, καὶ θεὸς ἐν Σάμῃ τῆς Κεφαλληνίας τετίμηται· ἔνθα αὐτῷ ἱερὸν ῥυτῶν λίθων, βωμοί, τεμένη, μουσεῖον ᾠκοδόμηταί τε καὶ καθιέρωται· καὶ συνιόντες εἰς τὸ ἱερὸν οἱ Κεφαλλῆνες κατὰ νουμηνίαν γενέθλιον ἀποθέωσιν θύουσιν Ἐπιφάνει· σπένδουσί τε καὶ εὐωχοῦνται, καὶ ὕμνοι λέγονται. ἐπαιδεύθη μὲν οὖν παρὰ τῷ πατρὶ τήν τε ἐγκύκλιον παιδείαν καὶ τὰ Πλάτωνος· καθηγήσατο δὲ τῆς μοναδικῆς γνώσεως· ἀφ' οὗ καὶ ἡ τῶν Καρποκρατιανῶν αἵρεσις.* Cf. THEODORET. haeret. fab. I, 5: *καὶ Ἐπιφάνης δὲ τούτου παῖς Πλατωνικῆς ἠγμένος παιδείας τὴν τούτου μυθολογίαν ἐπλάτυνεν.*

11) EUSEB. hist. eccles. IV, 7.

12) Verbis utor Taciti Annal. XV, 44.

13) EPIPHAN. haeres. XXVII, 6: *ἐν χρόνοις Ἀνικήτου Μαρκελλίνα ἐν Ῥώμῃ γενομένη τὴν λύμην τῆς Καρποκρᾶ διδασκαλίας ἐξεμέσασα, πολλοὺς τῶν ἐκεῖσε λυμηναμένη ἠφάνισε.* IREN. l. c. §. 6.

14) Paulo aliter FULDNERUS (pag. 190), qui Cephalleniam sectae nostrae sedem dicere mavult. Pro Aegypto Africaeque ora autem praeter monumenta nostra pugnant etiam nomina hujus sectae aliarumque cognatarum e lingua aegyptiaca, ni fallor, explicanda. In his primum est *Phibionitarum* l. *Phemionitarum* nomen, quod his hominibus tribuitur apud EPIPHAN. et THEODORETUM, variis conjecturis tentatum, ex nostra sententia idem notans, quod *στρατιωτικοὶ* *militares* (a militia contra mundi opifices) a coptico ⲫⲓ-ⲘⲀⲦⲞⲒ *miles* (la CROZE Lex. aegypt. pag. 40): alterum *Borborianorum* i. e. Coprianorum, coenosorum nomen, a *βόρβορος*, quae vox itidem aegyptiacae originis est (v. IGN. ROSSII etym. aegypt. pag. 41).

duumviros in celeberrimis sectae doctoribus fuit novaeque minoris scholae conditor factus est, quae modo ab auctore Prodicianorum, modo ab Adami imitatione Adamitarum nomine circumfertur, et in Cyrenaica seculo adhuc quinto sextoque Carpocratianorum diserta in nostris lapidibus habemus vestigia [16]).

Quod ad fontes doctrinae Carpocratianae attinet, e recentiorum illi Platonicorum et Pythagoreorum scholis plurimum hausisse videntur [17]). Uterque sectae conditor novae academiae praeceptis imbutus erat atque parebat [18]): uterque Pythagoram sectabatur ejusque imitabatur instituta [19]). Praeter hos autem Graecorum philosophos recentiorum Platonicorum propius ad genuinam Orientalium doctrinam, alii ad Graecorum philosophemata, accederent. De recentioribus Platonicis et Eclecticis Pythagorae quoque memoriam studiose recolentibus, Platonis et Pythagorae decreta autem novo quodam orientalis philosophiae genere attemperantibus, vide bene disputantem Jac. Bruckerum hist. philos. T. II. p. 191 sequ., qui rectissime monet, Aegyptum, superstitionibus longo deditissimam, ab omni aevo ad recipienda quaevis religionum dogmata proclivem, syncretismi foecundissimam matrem factam esse. De praecipuis huius sectae doctoribus, ut Ammonio, Plotino, Porphyrio, Jamblicho, al. vide eund. pag. 205 sq. deque philosophis Pythagorae sectam resuscitantibus, inprimis Apollonio Thyaneo, p. 98 sequ. Ad quos potissimum Graeciae et Orientis doctores et hierophantos provocaverint Carpocratiani, altera inscriptio perspicue docet.

Caeterum Platonismum recentiorem, tanquam gentilium gnosin, ethnicae superstitionis et polytheismi vindicem; Philonis scripta et Kabbalam, in quibus continetur Judaeorum gnosis; Zabiorum libros, in quibus Zoroastris et Magorum doctrina Ioannis baptistae discipulorum scitis accommodata est; Samaritanorum theologiam, quae itidem philosophicam gnosticamque speciem induit (v. Anecdota Orientalia fasc. I. pag. 14 sq.); Muhammedanorum denique Sufismum, utpote sororia systemata, in singulis fere doctrinis contulisse juvabit eos, qui harum rerum cupiunt cognoscere causas.

15) Clemens Alex. Strom. III, §. 4. pag. 188 ed. Sylb. 525 ed. Potter. Theodoret. haer. fab. I, 6: τοῦτον (Epiphanem) διαδεξάμενος προφανῶς λαγνεύειν τοῖς Καρποκράτους προςτέθεικε δόγμασι. Κοινὰς γὰρ εἶναι τὰς γυναῖκας ἐνομοθέτησεν. Vide Fuldner pag. 205.

16) Recte Gieselerus ex iis, quae hucusque innotuerant, monumentis judicans (l. c. p. 126): *„Sie (die Secte der Carpocratianer) scheint nicht über den Anfang des dritten Jahrhunderts hinaus fortgewährt zu haben."* Nunc vero propter inscript. II. haec sententia mutanda erit, atque Carpocratianorum eadem fuisse videtur ratio, quae Basilidianorum et Ophitarum, e quibus illi ineunte seculo quinto, hi seculo adhuc sexto medio superstites erant (v. Justiniani contra eosdem legg. Cod. tit. I, 18. 19. 21). Ophitarum vero emblema quoddam in nostro etiam lapide comparet.

17) Verissime Fuldnerus pag. 190 not. 7: *„Vellem recentiores rerum gnosticarum scriptores non ita neglexissent quae inter Platonicam philosophiam et Gnosticorum decreta intercessit rationem. Ii enim cum viderent, antiquiores* [Tertull. adv. Hermog. 8. haereticorum patriarchae philosophi, de anima cap. XXIII: Plato omnium haereticorum condimentarius] *nimis hanc rem ursisse, penitus fere eandem transmiserunt."* Cf. tamen Lewaldum cap. IV. Gnoseos vero fontes in genere, de quibus saepe disceptatum est, ut obiter hoc attingam, in Alexandrinorum philosophia e Neoplatonismo et philosophia mythisque Orientalium (e Zend-Avesta et Zabiorum libris utcunque nobis notis) varie temperata, quaesiverim, ita quidem ut aliae, Syrorum potissimum, scholae

18) Vide not. 10.

19) Ad decreta institutaque, quae e Pythagoricis ad Carpocratianos transierunt, referenda bonorum communio (vide locum Clementis mox excitandum),

nicorum more *Zoroastrem* l. *Zaradem*, quem Pythagorae magistrum fuisse clamabat sequior aetas [20]), tanquam mysteriorum conditorem reverebantur, neque Jesum, quem communi naturae lege ex Josepho et Maria genitum esse censebant [21]), majore et sanctiore, quam illos, cultu prosequebantur, siquidem cum servatoris imagine Pythagorae etiam, Platonis, Aristotelis aliorumque philosophorum imagines pictas statuasque colebant adorando suffitumque ponendo [22]). Quo majorem autem nugis suis auctoritatem conciliarent, novae Academiae itidem pravum exemplum secuti, libris a se excogitatis clarissima illa nomina praefigebant, vel alia id genus documenta adulterina a Neoplatonicis adoptabant [23]). Horum in numero prae caeteris eminebant Zoroastris libri apocryphi, apud philosophos Alexandrinos jamjam magnum

animarum migratio (vide THEODORET. l. c.), atque universa *μοναδικὴ γνῶσις*. Etenim ante Platonem Pythagoras *ἀρχὴν ἁπάντων μονάδα* esse statuit, ut refert DIOGENES LAERTIUS VIII, §. 25. In animarum migratione autem Carpocratiani specialia adeo quaedam e Pythagorae doctrina adoptarunt. MASSUETUS Diss. ad Iren. p. 51: „*Pythagoreum erat, quod fingebat Carpocrates, Angelo cuidam id muneris demandatum fuisse, ut animas hinc migrantes ad Principem deduceret ab eo, si quid praetermisissent, puniendas. Nam hoc ipsum officium erat, quod Mercurio tribuebat Pythagoras, adeo ut eandem omnino fabulam, mutatis duntaxat nominibus, recoxerit Carpocrates. Ajebat ille, Mercurium animarum ταμίαν, quaestorem, esse* cet.“ Et recte quidem ita MASSUETUS. Etenim Carpocratianis tam subtilis V. T. cognitio tribui non potest, ut quae FULDNERI est sententia (p. 242), diabolus in Jobei carminis prologo, ac talis quidem, qualem HERDERUS, EICHHORNIUS, ILLGENIUS eo loco intulerunt, ob oculos iis versari potuisset. Basilidiani a Pythagoreis repetierunt silentium quinquennalo (EUSEB. h. eccl. IV, 7).

20) Vide infra in notis ad inscriptionem dicenda. De mysteriorum graecorum imitatione h. l. verbo monuisse sufficiat: eaque eo minus in hac quaestione praetermittenda sunt, quo certior arctiorque philosophis inprimis pythagoricis et neoplatonicis cum mysteriis intercessit necessitudo. Vide CREUZER *Symbolik* T. IV. p. 515, cf. not. 36.

21) IREN. I, 24: „Jesum autem e Joseph natum, et qui similis reliquis hominibus fuerit, distasse a reliquis secundum id quod anima ejus firma et munda cum esset, commemorata fuerit, quae visa essent sibi in ea circumlatione (*περιφορᾷ*) quae fuisset in ingenito Deo.“ Verba per se propter latini sermonis barbariem obscura ex EPIPHANIO et THEODORETO illustrantur, ad quos remittimus.

22) Vide IREN. THEOD. EPIPHAN. l. l. c. c. Inscriptio altera Jesu octavum demum locum inter philosophos et hierophantas tribuit. Caeterum *Christus* a Neoplatonicis etiam in philosophorum numero habitus (v. BRUCKER II, 373), eamque haud dubie ob causam in Alexandri Severi larario positus est (LAMPRID. ALEX. c. XXIX).

23) Alexandrinis, inprimis Academiae recentioris asseclis, proprium fuisse, ut suis scitis placitisque clarorum nominum abusu auctoritatem conciliarent, istumque morem perversum, cui etiam philosophicam speciem praetendebant (MOSHEM. dissertatt. ad hist. eccl. p. 217 sq. BRUCKERUS l. c. II, 378. 379. cf. not. 37) ad Christianos etiam transiisse, res nota est. E profanarum literarum historia huc pertinent Pseudo-Orphica, quae Pythagorae, Hermeti Trismegisto tribuebantur (de scriptis pseudopythagoricis v. FABRIC. l. c. I, 453, de Hermeticis not. 40) item Aristobuli Judaei literatae fraudes (v. VALKENARIUS de Arist. J. Lugd. Bat. 1806), e sacris sapientia Salomonis, Henochi liber, libri Sibyllini atque innumera fere Pseudepigrapha, partim a FABRICIO (in Cod. Pseudepigr. V. T.) edita, partim in bibliothecis latitantia. De Gnosticorum libris arcanis et suppositis v. MOSHEM. l. c. §. 83 et quae ibi laudantur.

nomen consecuti, quos penes se esse jactitabant Prodiciani [24]. Vetere Testamento, utpote angelorum imperfectorum opere, prorsus spreto, ad Novum Testamentum aliquando provocabant, ita tamen ut Christi apostolorumque verba ἔγγραφα misere detorta in suam sententiam traherent de arcana servatoris traditione gloriabundi.

Ad quaedam sectae somnia de perfectiore quorundam Apostolorum Veterisque Testamenti personarum scientia postea redituri, quae Carpocratis Epiphanisque fuerit de Dei natura sententia, et unde tam foeda morum praecepta repetierint, videamus. Supremum numen Platonis exemplo μονάδα nuncupavit Epiphanes (unde γνῶσις ejus μοναδικὴ appellatur) illudque per universam rerum naturam commeare dixit et diffundi: ex eo omnia procreata esse, illuc omnia revolvi, ita ut magnum quasi corpus constituant. Hinc, quae ab universo illo et uno suppeditentur, ex aequo ad omnia pertinere, ita ut singuli nihil sibi vindicare possint. Ex hoc summo principio, quod pantheisticum dicere potes, rerum communionem deduxit, et in ea conspicuam esse voluit Dei supremi justitiam. Locus classicus continens fragmentum libri, quod Epiphanes composuit περὶ δικαιοσύνης, exstat apud Clementem Alexandrinum Stromm. III, p. 512, totusque vel hanc ob causam transscribendus est, quia paene pro clavi inscriptionis nostrae haberi potest. *Λέγει τοίνυν οὗτος ἐν τῷ περὶ δικαιοσύνης, „τὴν δικαιοσύνην τοῦ θεοῦ κοινωνίαν τινὰ εἶναι μετ' ἰσότητος. ἴσος γέ τοι πανταχόθεν ἐκταθεὶς οὐρανὸς, κύκλῳ τὴν γῆν περιέχει πᾶσαν. καὶ πάντας ἡ νὺξ ἐπ' ἴσης ἐπιδείκνυται τοὺς ἀστέρας· τόν τε τῆς ἡμέρας αἴτιον καὶ πατέρα τοῦ φωτὸς Ἥλιον ὁ θεὸς ἐξέχεεν ἄνωθεν ἴσον ἐπὶ γῆς ἅπασι τοῖς βλέπειν δυναμένοις· οἱ δὲ κοινῇ πάντες βλέπουσιν· ἐπεὶ μὴ διακρίνει πλούσιον, ἢ πένητα, ἢ δήμου ἄρχοντα· ἄφρονάς τε καὶ τοὺς φρονοῦντας· θηλείας, ἄρσενας· ἐλευθέρους, δούλους· ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἀλόγων παρὰ τοῦτο ποιεῖταί τι· πᾶσι δὲ ἐπ' ἴσης τοῖς ζώοις κοινὸν αὐτὸν ἐκχέας ἄνωθεν, ἀγαθοῖς τε καὶ φαύλοις, δικαιοσύνην ἐμπεδοῖ, μηδενὸς δυναμένου πλεῖον ἔχειν, μηδὲ ἀφαιρεῖσθαι τὸν πλησίον, ἵν' αὐτὸς τὸ κἀκείνου φῶς διπλασιάσας ἔχῃ. Ἥλιος κοινὰς τροφὰς ἅπασιν ἀνατέλλει* (ita Sylb. et Grabius in Spicileg. patrum II, p. 61 pro *ἀνατέλλειν*)· *δικαιοσύνης τε τῆς κοινῆς ἅπασιν ἐπ' ἴσης δοθείσης· καὶ εἰς τὰ τοιαῦτα βοῶν γένος ὁμοίως γίνεται ὡς αἱ βόες· καὶ συῶν, ὡς οἱ σύες· καὶ προβάτων, εἰς τὰ πρόβατα, καὶ τὰ λοιπὰ πάντα· δικαιοσύνη γὰρ ἐν αὐτοῖς ἀναφαίνεται ἡ κοινότης· ἔπειτα κατὰ κοινότητα πάντα ὁμοίως κατὰ γένος σπείρεται· τροφή τε κοινὴ χαμαὶ νεμομένοις ἀνεῖται, πᾶσι τοῖς κτήνεσι, καὶ πᾶσιν ἐπ' ἴσης, οὐδενὶ νόμῳ κρατουμένη, τῇ δὲ παρὰ τοῦ διδόντος κελεύσαντος χορηγία*

24) Libros supposititios theurgicos, magicos, astrologicos, physicos cet. a philosophis potissimum gnosticisque alexandrinis cusos Zoroastris nomen mentientes diligenter recensuerunt Lambecius in *Prodr. hist. litt.* pag. 79 sq. Fabricius in *bibl. graeca* T. I. pag. 304 sq. ed. Harles. Bruckerus in *hist. philos.* T. I. pag. 154 sq. Ac Gnostici quidem, in iisque maxime Adelphius et Aquilinus, apocalypses Zoroastris se habere gloriati sunt, quos tamen fraudis et suppositionis tota Platonicorum schola, et inprimis Plotinus et Porphyrius, convicerunt (vit. Plotini cap. XVI). De Prodicianis Clemens Alex. Stromm. I. p. 357: *βίβλους ἀποκρύφους τἀνδρὸς τοῦδε* (Zoroastris) *οἱ τὴν Προδίκου μετιόντες αἵρεσιν αὐχοῦσι κεκτῆσθαι.*

συμφώνως ἅπασι δικαιοσύνη παροῦσα. ἀλλ' οὐδὲ τὰ τῆς γενέσεως νόμον ἔχει γεγραμμένον· μετέγράφη γὰρ ἄν· σπείρουσι δὲ καὶ γεννῶσιν ἐπ' ἴσης, κοινωνίαν ὑπὸ δικαιοσύνης ἔμφυτον ἔχοντες· κοινῇ πᾶσιν ἐπ' ἴσης ὀφθαλμὸν εἰς τὸ βλέπειν ὁ ποιητής τε καὶ πατὴρ πάντων δικαιοσύνῃ νομοθετήσας τῇ παρ' αὐτοῦ παρέσχεν, οὐ διακρίνας θήλειαν ἄρρενος, οὐ λογικὸν ἀλόγου, καὶ καθάπαξ οὐδενὸς οὐδέν· ἰσότητι δὲ καὶ κοινότητι μερίσας τὸ βλέπειν ὁμοίως ἑνὶ κελεύματι πᾶσι κεχάρισται. οἱ νόμοι δὲ, φησὶν, ἀνθρώπων ἀμαθίαν κολάζειν μὴ δυνάμενοι, παρανομεῖν ἐδίδαξαν· ἡ γὰρ ἰδιότης τῶν νόμων, τὴν κοινωνίαν τοῦ θείου νόμου κατέτεμεν καὶ παρατρώγει·" μὴ συνιεὶς τὸ τοῦ ἀποστόλου ῥητὸν, λέγοντος, διὰ νόμου τὴν ἁμαρτίαν ἔγνων· (Haec CLEMENTIS verba sunt, in quibus respicit Rom. III, 20. VII, 7). „τὸ τ' ἐμὸν καὶ τὸ σὸν φησὶ διὰ τῶν νόμων παρεισελθεῖν· μηκέτι εἰς κοινότητα (κοινά τε γὰρ) καρπουμένων, μήτε γῆν, μήτε κτήματα, ἀλλὰ μηδὲ γάμον. κοινῇ γὰρ ἅπασιν ἐποίησε τὰς ἀμπέλους, αἱ μὴ στρουθὸν, μήτε κλέπτην ἀπαρνοῦνται· καὶ τὸν σῖτον οὕτως, καὶ τοὺς ἄλλους καρπούς· ἡ δὲ κοινωνία παρανομηθεῖσα, καὶ τὰ τῆς ἰσότητος, ἐγέννησε θρεμμάτων καὶ καρπῶν κλέπτην. κοινῇ τοίνυν ὁ θεὸς ἅπαντα ἀνθρώπῳ ποιήσας, καὶ τὸ θῆλυ τῷ ἄρρενι κοινῇ συναγαγὼν, καὶ πάνθ' ὁμοίως τὰ ζῶα κολλήσας, τὴν δικαιοσύνην ἀνέφηνεν, κοινωνίαν μετ' ἰσότητος· οἱ δὲ γεγονότες οὕτω τὴν συνάγουσαν κοινωνίαν, τὴν γένεσιν αὐτῶν ἀπηρνήθησαν. Καὶ φησὶν, εἰ μίαν ἀγόμενος ἐχέτω, δυναμένων κοινωνεῖν ἁπάντων, ὥςπερ ἀπέφηνε τὰ λοιπὰ τῶν ζώων." [25])

Docuit igitur, bonorum cunctorum atque adeo mulierum communionem *lege divina* constitutam, atque in tali lege lata Deum insigne *justitiae* suae specimen edidisse voluit: postmodo legum humanarum arbitrio et inscitia eandem turbatam esse, ita ut discrimen quoddam sanciretur, quid hujus quidque alius esset, rerumque communis usus tolleretur, quo facto plurima vitia, adulteria, stupra, furta in mundum irrupisse, restituta divina communionis lege evanitura. In legum humanarum numero autem mosaicam etiam posuit, cujus de continentia praeceptum diserte irridere non dubitavit Epiphanes alio fragmento (ap. CLEM. l. c. pag. 514): ἔνθεν ὡς γελοῖον εἰρηκότος τοῦ νομοθέτου, ῥῆμα τοῦτο ἀκουστέον, οὐκ ἐπιθυμήσεις, πρὸς τὸ γελοιότερον εἰπεῖν, τῶν τοῦ πλησίον· αὐτὸς γὰρ ὁ τὴν ἐπιθυμίαν δοὺς, ὡς συνέχουσαν τὰ τῆς γενέσεως, ταύτην ἀφαιρεῖσθαι κελεύει, μηδενὸς αὐτὴν ἀφελὼν ζώου. Voluptatem denique et generandi cupidinem, a Deo animis inditam, legibus moribusque cunctis majorem vim habere voluit. Τὴν ἐπιθυμίαν εὔτονον καὶ σφοδροτέραν ἐνεποίησε τοῖς ἄρρεσιν εἰς τὴν τῶν γενῶν παραμονήν· ἣν οὔτε νόμος οὔτε ἔθος οὔτε ἄλλο τι τῶν ὄντων ἀφανίσαι δύναται· θεοῦ γάρ ἐστι δόγμα (ibid. pag. 513).

Ac tali quidem *legi* scilicet *divinae, talique justitiae* (quae quidem utraque in nostro documento commendatur), quae ad scelera quaevis et flagitia invitabant peccandi cupidos,

---

25) In fine locus vel corruptus vel mutilus est. Pro εἰ μίαν *Sylburgius* conjicit ὁ μίαν. POTTERUS ita: „Vel haec sic scribi et explicari poterint: ἀπηρνήθησαν, καὶ, φησὶν, εἰ μίαν ἀγόμενος ἔχῃ δ. *abnegaverunt, etiamsi, inquit, unam qui ducit habeat, cum omnes participes esse possint, ut reliqua animalia declarant.* Vel forte aliquid excidit."

obsecutos Carpocratianos quis mirabitur post convivia in conventibus nocturnis promiscuam libidinem exercuisse? [26]) Quis in tanta horum hominum perversitate fidem denegabit Epiphanio, qui aliquam certe hujus haereseos partem eo usque processisse impudicitiae narrat, ut Adami ad exemplum deposita veste nudi conventus adirent? [27]) Recte autem monuit Clemens, Carpocratem in nefando isto instituto et Platonem, qui in libris de republica mulierum communionem commendat, secutum esse, sed male intellexisse, et Magos, quod quidem posterius nostro etiam documento confirmatur [28]).

E Carpocratianorum sectis una cum proposito nostro arctius coniuncta est, quae a *Juda* proditore (cujus nomen literis phoeniciis scriptum in inscriptionis nostrae capite extat) nomen habet. Plurimi enim e Carpocratianis Petro, Paulo aliisque apostolis, tanquam mundi opificum contemtoribus, eandem quam Christo virtutem tribuebant: nonnulli autem hanc adversus δημιουργοὺς militiam subtilius expondituri novae *Caïnitarum* s. *Judaïtarum* sectae auctores facti sunt. Atque hi quidem duas easque summas ac sibi contrarias virtutes (δυνάμεις) esse statuerunt: alteram superiorem *Σοφίαν* dictam, alteram inferiorem *Ὑστέραν*, utramque femineam. Ab Hystera mundum creatum esse dixerunt atque vexari illos, quos Sophiae filios et cultores ab ipsa lumine quodam collustratos imbutosque perfectiori scientia perhibuerunt. Huc referebant Cainum, Esavum, Sodomitas aliosque ex mente sacrorum librorum turpitudinis nota insignes; inprimis autem celebrarunt *Judam*, servatoris proditorem, tanquam divinum hominem, cujus rectiore scientia, qua prae caeteris apostolis veritatem solus cognoverit, factum sit, ut mysterium illud, quod in servatoris proditione latet, perficeretur atque hoc modo Hysterae regnum ejusque statuta et leges dissolverentur everterenturque [29]). Ad has vero senten-

26) Clemens Alex. l. c. Epiphan. haeres. XXVI, 9. Cf. Muenter *kirchl. Alterth. d. Gnostiker* pag. 176. Eadem scelera Manichaeis quibusdam tribuuntur in Anathematismis apud Cotelerium in not. ad Pseudoclem. Recogn. IV, 17. Turpissimi instituti praetextum quaerere poterant pessimi homines in sacris Eleusiniis majoribus, in quorum ἐποπτείᾳ initiati per aliquod tempus facibus exstinctis in tenebris palpabant. Vide St. Croix recherches sur les mysteries ed. de Sacy p. 348. Creuzer *Symbolik* IV, 534.

27) De Adamitis v. Epiphan. haeres. 52. coll. Clemente Alex. Stromm. p. 438 de Prodico et Prodicianis, quos ab Adamitis parum diversos fuisse arbitror cum Fuldnero pag. 204 sq.

28) Vide notam ad inscr. lin. 1, 2.

29) Fuldnerus l. c. p. 212. Irenaeus l. c. §. 1: *Alii autem rursus Caïn a superiore principalitate dicunt; et Esau et Core et Sodomitae et omnes tales cognatos suos profitentur; et propter hoc a factore impugnatos, neminem ex iis male acceptos* (fors. acceptum). *Sophia enim illud, quod proprium ex ea erat, abripiebat ex eis ad semet ipsam. Et haec Judam proditorem diligenter cognovisse dicunt, et solum prae caeteris cognoscentem veritatem, perfecisse proditionis mysterium, per quem et terrena et coelestia omnia dissoluta dicunt.* Theodoretus l. c. καὶ τὸν προδότην δὲ Ἰούδαν μόνον ἐκ πάντων τῶν ἀποστόλων ταύτην ἐσχηκέναι τὴν γνῶσιν φασὶ, καὶ διὰ τοῦτο τὸ τῆς προδοσίας ἐνεργῆσαι μυστήριον. Augustinus l. c.: Caïn honorant, dicentes, eum fortissimae esse virtutis, simul et *Judam proditorem divinum aliquid putant esse*, scelus ejus beneficium asserentes, eum praescisse, quantum esset generi humano Christi passio profutura, et

tias comprobandas pro more horum hominum variis utebantur libris apocryphis, quos inter *Judae evangelium* [30]) commemoratur.

Atque haec fere de fanaticorum hominum deliriis pro consilii nostri ratione sufficiant. Ante vero quam ad ipsum monumentum illustrandum transgredimur, alia quaedam vel ad harum sectarum vel ad Cyrenaicae theologiae indolem spectantia in antecessum monenda sunt, quo rectius de illo judicium feramus. Ac *primum* quidem lectores de universi Gnosticismi indole ἐκλεκτικῇ monendi videntur [31]). Etenim Caïnitae s. Judaïtae et Prodiciani quanquam proprie diversas in Carpocratis haeresi scholas efficiebant, minime tamen ita a se invicem sejuncti erant et segregati, ut non unus alterve Carpocratis castra secutus utriusque illius placita conjungere potuisset. Universa enim religionis et philosophiae, quae seculo secundo ad sextum usque in Africa graeca vigebat, ratio erat ἐκλεκτική, et tam variis modis arcana gentilium sacra, Neoplatonicorum praecepta, Magica atque Christiana inter se permixta fuerunt et temperata, ut nulli fere singularum religionum limites superessent [32]), unde nemo mirabitur, in nostro quoque documento alia Epiphanis, alia Prodici et Judaïtarum placita

occidendum Judaeis propterea tradidisse . . . . . Blasphemant legem et Deum, legis auctorem. Philastrius c. XXXIV: Alii ab Juda traditore institnerunt haeresin dicentes, bonum opus fecisse Judam, quod tradiderit salvatorem. Hic enim, inquiunt, nobis omnis scientiae bonae auctor extitit, per quem coelestia nobis mysteria manifestata sunt. Virtutibus etenim in coelo nolentibus pati Christum, et scientibus, quod, si fuerit passus, vitam hominibus donaturus sit: hoc sciens, inquit, Judas, Christum, si fuerit passus, salutem hominibus allaturum esse, hinc tradidit servatorem. — *Judaïtarum s. Judaeorum* nomen haeresi tribuitur apud Hieron. in ind. haeres. cap. VIII. Dissensisse autem hos homines de causa, qua Judas, ut Christum traderet, motus esset, docent haec (Pseudo-) Tertulliani l. c.: „Hi, qui hoc asserunt, etiam Judam proditorem defendunt, admirabilem illum et magnum esse memorantes, propter utilitates, quas humano generi contulisse jactatur. Quidam enim ipsorum gratiarum actionem Judae propter hanc causam reddendam putant. Animadvertens enim, inquiunt, Judas, quod Christus vellet veritatem subvertere, tradidit illum, ne subverti veritas posset. Et alii contra sic disputant et dicunt: Quia potestates hujus mundi nolebant pati Christum, ne humano generi per mortem ipsius salus pararetur: saluti consulens generis humani, tradidit Christum, ut salus, quae impediebatur per virtutes, quae obsistebant, ne pateretur Christus, impediri omnino non posset, et ideo per passionem Christi non posset salus humani generis retardari," quibus consentit Epiphanius l. c.

30) Iren. l. c. *Et confictionem afferunt hujusmodi, Judae Evangelium illud vocantes.* Epiphanius l. c.: *ἄλλο συνταγμάτιον πλάττουσιν ἐξ ὀνόματος Παύλου, ᾧ καὶ οἱ Γνωστικοὶ λεγόμενοι χρῶνται, ὃ Ἀναβατικὸν Παύλου καλοῦσι.*

31) Atque propter id ipsum nullam video causam idoneam, cur fidem denegemus Epiphanio (haeres. XXXII §. 3), qui Epiphanem praeter patrem Secundum quoque Valentinianum audivisse memoriae prodit, atque duos propterea statuamus hujus nominis Gnosticos, alterum Carpocratis, alterum Valentini discipulum, id quod doct. H. Ag. Niemeyero nuper probabile visum est (de Docetis p. 37). Vix enim a Carpocratis discipulo alienum fuisse putaverim, celebrem apud Valentinianos finitimos audire magistrum et vice versa.

32) Vide Bruckerum T. II. p. 189 sq.

redolere, alia a mysteriis Graecorum repetita esse. Magis mirum videri possit, fuisse etiam catholicae ecclesiae doctores, quorum tanta erat in seligendis sententiis licentia, ut haereticorum quascunque fabulas orthodoxae doctrinae attemperarent. Luculentissimum vero hujus *συγκρητισμοῦ* exemplum habemus in SYNESII, episcopi CYRENAICI [33]), seculo quinto florentis, scriptis, inprimis in hymnis ejus sacris, in quibus omnes fere valentinianae gnoseos nugas orthodoxae doctrinae adaptavit [34]). *Deinde* hujus ipsius SYNESII exemplo docemur, quod per se veri specie non carebat, Cyrenen totamque Cyrenaicam, utpote cum Alexandria arctissimis commercii et hierarchiae vinculis conjunctam, ad seculum usque quintum, tum haereticae tum orthodoxae Gnoseos sedem et domicilium fuisse, quemadmodum eadem jam ante Christum natum Cyrenaicorum patria et primaria sedes fuerat, ad quos, tanquam a voluptatibus non alienos, haereticos nostros, eodem morbo laborantes, in alia quadam inscriptione provocasse infra videbimus [35]). *Porro* Gnosticos Cyrenaicos, quibus Synesium episcopum adnumerare non dubitamus, in eo mirifice sibi placuisse, ut verba et emblemata a Graecorum sacris arcanis repeterent, docet locus quidam Synesii, in quo varios gradus, per quos ad perfectiorem scientiam ascendendum sit homini christiano, ita adumbrat, ut singula fere a muneribus in sacris Eleusiniis repetat. Ita enim ille in epistola ad filium, de philosophia christiana locutus, *δεῖ γάρ τοι πρῶτον ἀποδῦναι τὴν ἀγροικίαν, καὶ τὰ μικρὰ ἐποπτεῦσαι πρὸ τῶν μειζόνων, καὶ χορεῦσαι πρὶν δᾳδουχῆσαι, καὶ δᾳδουχῆσαι πρὶν ἱεροφαντῆσαι* (pag. 52) [36]).

Ex ejusdem *denique* Cyrenaeorum antistitis exemplo et historia, partim, quid ille ipse de fraude et mendacio licitis Platonicorum more senserit [36]), intelligimus, partim, quantopere

33) De *Synesii*, philosophi Alexandrini, Hypatiae discipuli, qui Theophili archiepiscopi suasu anno Chr. 410 christiana sacra amplexus et episcopus Pentapoleos ordinatus est, vita, operibus studiisque diligentissime egerunt BRUCKERUS l. c. T. III. p. 507 sq. TILLEMONT memoires eccles. T. XII. p. 499. FABRICIUS in Bibl. graeca T. VIII. p. 221 (T. IX. p. 190—204 ed. Harles). Operum editionem praeter alios dedit PETAVIUS Paris. 1612. 1631. 1633. fol.

34) Verba sunt J. E. GRABII ad IRENAEUM pag. 7.

35) De Aristippo deque Cyrenaicae sectae, propter doctrinae de voluptate abusum merito infamis, historia placitisque v. BRUCKERUM T. I. p. 597 sq.

36) Cf. infra in nott. ad inscript. v. *ἱεροφαντῶν* et Cap. IV dicenda, item quae de variis initiatorum generibus, atque de variis, quae a mysteriis ad sacra christiana translata sunt, vocabulis more suo erudite exposuit CREUZER *Symbolik* IV, p. 499 scriptoresque ibi laudatos, inprimis HEMERAIUM.

36 b) Synesii epist. CV, p. 249 ed. Petav.: *νοῦς μὲν οὖν φιλόσοφος ἐπόπτης ὢν τἀληθοῦς, συγχωρεῖ τῇ χρείᾳ τοῦ ψεύδεσθαι. ἀνάλογον γάρ ἐστι φῶς πρὸς ἀλήθειαν καὶ ὄμμα πρὸς δῆμον. ἧ οὖν ὀφθαλμὸς εἰς κακὸν ἂν ἀπολαύσειεν ἀπλήστου φωτός, καὶ ᾗ τοῖς ὀφθαλμιῶσι τὸ σκότος ὠφελιμώτερον, ταύτῃ καὶ τὸ ψεῦδος ὄφελος εἶναι τίθεμαι δήμῳ καὶ βλάβερον τὴν ἀλήθειαν τοῖς οὐκ ἰσχύουσιν ἐνατενίσαι πρὸς τὴν τῶν ὄντων ἐνάργειαν.* Ad historiam perversae hujus sententiae de *pia fraude et mendacio non illicito*, quae a Pythagoreis et Platonicis ad quosdam ecclesiae patres, ut Origenem, Pseudo-Dionysium atque adeo Chrysostomum propagata est, v. TIMAEUS LOCRUS de anima mundi (TH. GALE scriptt. eth. p. 566), PLATO de republ. lib. III. p. 31. ORIGENIS Opp.

hujus urbis homines in perversa illius temporis non solum libros sed alia etiam monumenta supponendi arte profecerint [37]); neque erit, cur similem in nostro documento fraudem literariam admiremur.

Cap. II.

Inscriptionis pars graeca illustratur, alia quaedam inscriptio exhibetur.

His praemissis ipsam inscriptionem, quatenus graeco sermone et charactere scripta est, transcribere, latine transferre et commentario illustrare placet: ita quidem, ut aliam Cyrenaicam [37 b]) statim subjungamus, nostraeque explicandae postmodo adhibeamus, iis vero, quae

ed. Rusci T. I. p. 39, et Hieron. apolog. contra Rufinum T. II. Opp. p. 138 (cf. Staeudlin *Gesch. d. Sittenlehre* T. II. p. 375). Chrysost. de Sacerdotio I, 5, et quae monuit Moshemius in dissertatt. laudatis p. 195. Quid? quod Aeschylus, Timaei sectator, ad ipsum Jovem doli boni fautorem provocat his versibus, quae extant inter fragmenta (incert. 278 ed. Schuetz):

Ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός.

Tertullianum demum et Augustinum pestiferam hanc doctrinam severius damnasse scimus (Tertull. apolog. c. XXI. Augustin. de mendacio cap. II).

37) Cum ad manus non sit Jo. Moschus, qui haec tradidit *Prati spiritualis* cap. CXCV, Schroeckhii (*Kirchengeschichte* T. VII. p. 168) verba adscribere lubet: „*Der neue Bischof war darauf bedacht, Proben seines Eifers für das Christenthum zu geben. Er hatte einen heydnischen Philosophen zu Cyrene, Evagrius, zum Freunde, den er ebenfalls zu bekehren suchte; der aber in der Lehre von der Auferstehung der Todten* (a qua ipse Synesius antea abhorruerat) *durchaus nicht zur Ueberzeugung gelangen konnte. Endlich liefs er sich dennoch taufen, und gab bald darauf dem Synesius einiges Geld, um es unter die Armen auszutheilen, begehrte aber von demselben eine schriftliche Versicherung, dafs ihm dieses Geld im zukünftigen Leben wieder bezahlt werden sollte. Sie wurde ihm auch wirklich ausgestellt. Als er einige Zeit darauf dem Tode nahe war, befahl er, dafs diese Verschreibung mit in sein Grab gelegt werden sollte. Drey Tage nach seinem Begräbnisse erschien er dem Synesius, und verlangte, dafs derselbe seine Verschreibung zurücknehmen solle, weil er nunmehr bezahlt sey. Synesius, der nun erst erfuhr, wo seine Schrift hingekommen sey, ging in Begleitung der Geistlichkeit und der angesehensten Bewohner zu dem Grabe des Evagrius, wo er, nachdem es eröffnet worden, nicht allein die Verschreibung, sondern auch darunter mit der Hand des Philosophen bescheinigt fand, dafs dieser das Geld erhalten habe. Man zeigte diese seltsame Urkunde noch lange Zeit darnach zu Cyrene . . . . . . die vermuthlich in der Absicht erdichtet wurde, um in dem Rufe des Synesius dasjenige vollkommen zu ersetzen, was darin durch seine standhafte Abneigung gegen einige christliche Lehren zweydeutig geworden war.*“

37 b) Cf. pag. 1. — Ill. Raoul-Rochette, Parisiensis academiae socius, alteram hanc inscriptionem cum Aug. Boeckhio, ut Berolinensi inscriptt. thesauro insereretur, communicaverat, qui, qua est

huic alteri inscriptioni explicandae inservire possint, paucis defungamur: partim ne a primo consilio nimis aberremus; partim ne plenioris doctiorisque editionis laudem aliis praeripiamus. Atqui bilinguis nostrae inscriptionis verba graeca ita se habent:

Ὀλυμπ. ΤЈΔΔΔΠΙ *ἔτος* III

Ἡ πασῶν οὐσιῶν καὶ γυναικῶν κοινότης πηγὴ τῆς θείας ἐστὶ δικαιοσύνης, εἰρήνη τε τελεία τοῖς τοῦ τυφλοῦ ὄχλου ἐκλεκτοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν, οὓς Ζαράδης τε καὶ Πυθαγόρας, τῶν ἱεροφαντῶν ὕριστοι, κοινῇ συμβιωτεῖν συνίεντο.

i. e.

Olympiadis octogesimae sextae anno tertio.

Omnium bonorum mulierumque communio fons est justificationis divinae, paxque perfecta electis e caeca plebe honestis viris, quos communiter vivere Zaradem inter et Pythagoram, hierophantarum principes, convenit.

Perspicuum est, monumenti nostri auctorem id agere, ut bonorum mulierumque communionem Zoroastris et Pythagorae auctoritate abusus suis commendet. Ac simile est alterius illius inscriptionis consilium, cujus haec sunt verba:

Σίμων [38]) 

[39]) *Κουραν(αῖος)*

Θὼθ [40]), *Κρόνος* [41]), *Ζωροάστρης*, *Πυθαγόρας*, *Ἐπίκουρος* [42]), *Μασδάκης*, *Ἰωάννης* [43]),

---

humanitate et *ἀφθονίᾳ*, apographum vulgari charactere graeco expressum ad me misit.

38) Simonem Cyrenaeum (Matth. XXVII, 32), quem Basilidiani Jesu loco cruci affixum esse comminiscebantur (v. Irenaeus I, 23 et quae ibi annotata sunt in ed. Parisiensi), a popularibus suis in Cyrenaica magni factum et viri divini *ἐγχωρίου* instar cultum esse, nemo mirabitur.

39) Osiridis nomen una cum Anubidis in gemmis gnosticis apud Chiffletum et alibi videre memini. De cruce, emblemate apud Aegyptios sacro, vide Rufin. hist. eccl. II, 29.

40) De Thot s. Hermetis Trismegisti, Aegyptiorum legislatoris (v. Diod. Sic. I. fin.), apud Osiridem magno in honore positi (ibid.), scribendi artis et omnigenae doctrinae inventoris, apud Orientales, Aegyptios, Neoplatonicos et mysteriorum quoscunque venatores magnae auctoritatis, rebus scriptisque apocryphis v. Fabricii *bibl. gr.* ed. Harles. T. I. p. 46 sq. Brucker l. c. I. p. 254. aliique ibi excitati, d'Herbelot bibl. orient. art. *Hermes*, et prae caeteris Jamblichus de mysteriis Aegypt. cap. I.

41) Quare *Κρόνος* in hunc legislatorum hiero-

Χριστός τε καὶ οἱ ἡμέτεροι Κουραναῖκοὶ καθηγηταὶ συμφώνως ἐντέλλωσιν [43 b)] ἡμῖν, μηδὲν οἰκειοποιεῖσθαι [44]), τοῖς δὲ νόμοις ἀρήγειν [45]) καὶ τὴν παρανομίαν καταπολεμεῖν. τοῦτο γὰρ ἡ τῆς δικαιοσύνης πηγὴ, τοῦτο τὸ μακαρίως ἐν κοινῇ ζῆν.

i. e.

Simon (Osiris) *Cyrenaeus.*

Thot (Mercurius), *Saturnus, Zoroastres, Pythagoras, Epicurus, Masdaces, Ioannes Christusque et nostri duces Cyrenaei uno ore nos nihil privatim agere, sed leges sustentare vitamque legibus solutam impugnare jusserunt. Id enim justitiae (l. justificationis) fons est, hoc est feliciter in bonorum communione vivere.*

Commendatur in his eadem, quae in priore documento, vitae bonorumque communio, quae vitae domesticae et privatae opponitur, commendatur legum (id est haereseos canonum) obsequium iisdem fere verbis et locutionibus, ita tamen ut alterius monumenti auctor (de cujus aetate nos dubitare non sinit Masdacis commemoratio) ad plures talis vitae patronos provocet, sectam suam contra *παρανομίας* criminationem defendere studeat, sermonemque ad doricam dialectum (quae apud Cyrenaeos antiquos regnaverat) [45 b)] aliquoties attemperare videatur.

---

phantarumque censum una cum Taauto venerit, intelligetur ex Sanchuniathonis fragmento apud Euseb. de praep. evang. I, 9. 10. Nimirum secundum Phoenicum mythos Taautus legem a *Κρόνῳ*, cui a tabulis et codicillis fuerat, acceptam septem Cabiris, Zydyci fratris filiis, tradidit, a quibus eadem postea mysteriorum antistitibus tradita est. Cf. Creuzer *Symbolik* T. II. p. 14. Fuit igitur *Κρόνος* legis mysticae auctor. *Κρόνος* vero h. l. Taautum excipit eodem jure quo postea Christus Joannem, Joannes Masdacem, sexti seculi hominem.

42) Epicuri doctrina de voluptatibus Aristippi et Epiphanis nostri praeceptis finitima erat, quanquam ad habitum magis philosophicum et honestiorem revocata.

43) De Masdace (ita enim legendum haud dubie pro *Μασδάκης* in apographo mihi tradito) v. infra ad inscr. lin. I. — Ioannis, videlicet Evangelistae (non Baptistae, quem Zabii suspiciebant), qui una cum Paulo magnae apud Gnosticos auctoritatis erat, libri apocryphi circumferebantur apud Encratitas, Manichaeos et Priscilliani sectatores, v. Epiphan. haeres. 47. Augustin. de fide cap. IV. XXXVIII.

43 b) Vitiose pro *ἐντέλλουσιν* vel antiquo *ἐντέλλοντι*.

44) i. q. *οἰκειοπραγεῖν, ἰδιοπραγεῖν*, quod opponitur *τῷ κοινοπραγεῖν* et *τῇ κοινοπραξίᾳ*.

45) Pro *ἀρήγειν*. *Legibus* autem neque mosaicam legem neque civiles provinciae leges intelligit (quanquam has a profanis intelligi voluit) sed *mysticas arcani foederis leges*, quales in sacris eleusiniis tum scriptas habebant, tum *ἀγράφους*, vide Creuzer *Symbolik* T. IV. p. 441. 488. St. Croix vers. germ. cap. III. IV. cf. not. 58.

45 b) De antiquiore Cyrenes, Lacedaemoniorum coloniae, historia v. J. P. Thrige historia Cyrenes. Roskildae 1820. 4.

Plura ad rem nostram pertinentia postea ad nostram inscriptionem adhibituri, ad hanc redimus, quae ad palaeographiam pertinent, prae caeteris tractaturi.

Ac primum quod *βουστροφηδὸν* scripta sunt graecanica verba, id aut remotam antiquitatem aut quandam antiquitatis affectationem luculenter arguit. Quanquam enim non is sum, qui hujus scripturae usum et historiam accuratius persequi possim, et ejus rei interiorem notitiam ab AUG. BOECKHIO exspectare, quam mea qualiacunque proferre malo, hoc tamen certum fuerit et exploratum, hanc scripturam, in Solonis legibus [46]) aliisque inscriptionibus antiquis adhibitam, post Olympiadem fere sexagesimam in vulgari usu non fuisse, et nonnisi aliquoties ab iis usurpatam esse, qui antiquitatis quandam speciem captabant, id quod in Sigeam cadere BOECKHII est conjectura. Atqui in nostro documento, quod pro genuino Olympiadis octogesimae sextae fetu omnibus rite perpensis nemo doctus habebit, scripturae ista ratio, aeque ac phoenicius character in pingendis verbis aramaeis, haud dubie adhibita est tum ad falsam quandam antiquitatis speciem simulandam, tum ut vel externa monumenti forma obscuri et arcani quid prae se ferat. Solent enim, quod quidem rem nostram egregie illustrat, alii etiam Gnostici, inprimis Basilidiani, ut mysteria captent, in amuletis suis vel aegyptiaca et hebraica graeco charactere, vel graeca Orientalium more a dextra ad sinistram scribere, ignotisque et aenigmaticis characteribus (*ἐφεσίοις γράμμασι* apud CLEM. ALEXND. Stromm. I, p. 132) delectari. In gemmarum Basilidianarum collectione supra (not. 5) laudata no. 45 super equi figura legitur: *ϽΟϘΑΑΙ*, no. 41: *ϚΙϽΙЯΟΝ*, no. 51: *ΘΧΙ* i. e. *Ιχθ(υς)*, emblema Christi, no. 87: *ΗΧΙΝ* (*Νίκη*), no. 87: *ΑϽΙΟϘΙΦ*, et quae sunt hujus generis reliqua [47]).

Ad literarum vero figuras quod attinet, in his eandem antiquitatis affectationem deprehendes, ita tamen, ut Jota Byzantinorum more cum lineolis in capite et in radicibus pictum sequioris et byzantinae aetatis indicem agat et proditorem. Omicron quoque quadratum sequioris potius, quam florentis aetatis sit [47 b]). Reliqua antiquitatem redolent. Ac Zeta quidem, ut est in voce *Ζαράδης*, monente ECKHELIO [48]), deprehenditur in nummis aetatis optimae v. g. tetradrachmis Smyrnae, in nummis Locrorum Italiae, in Cistophoris Laodiceae, diuque valuit haec forma, unde etiam in nummis inclinantis imperii exstat. *Phi*, quale nostrum in *χυφλοῦ* et *ἱερογραφῶν*, notante eodem viro docto est in nummo Phari insulae. Longe rarissima est figura

46) V. SUIDAS v. *ὁ κάτωθεν νόμος*. Montefalconii tempore nullum hujus generis monumentum e tenebris emersisse, vel certo ei innotuisse videtur (v. Palaeographiae graecae p. 118).

47) Aliquoties in his gemmis idem vocabulum semel a dextra ad sinistram et iterum a sinistra ad dextrum pictum est ut *ΩΑΙ ΙΑΩ* (Jao), v. BELLERMANN l. c. fasc. II. pag. 25, vel *ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ* i. e. أب لنا أنت *pater nobis tu, tu nobis pater*. Cf. quae observavimus *A. L. Z.* 1818, p. 713.

47 b) Vide ECKHELII doctr. numm. T. I. p. CI.

48) Ibid. p. XCIX.

literae *Tau*, quatuordecies in monumento nostro obvia, a MONTEFALCONIO, ECKHELIO, MIONNETO non adnotata, quam tamen DODWELLUS dedit ex inscriptione atheniensi in Piraeo reperta [49]).

Quod his in scribendo archaismis tacite significaverat monumenti nostri faber, id addita diserta anni notatione confirmat, Olympiadis octogesimae sextae anno tertio vel anno 434 a. Chr. illud confectum esse mentiens: quod quidem mendacium quam parum doctum sit ex eo apparet, quod illius aetatis scriptores tempora nondum secundum Olympiades digerere solebant [50]). Hoc vero tempus, si quid video, sibi elegit impostor, ut de philosophiae graecae florentis aetate, et, forsan in temporum rationibus paululum aberrans [50 b]), ut de scholae Cyrenaicae et divini Platonis aetate cogitarent lectores. Orientalis autem inscriptionis pars credulis hominibus facile persuadere et poterat et debebat, Philosophos illos veteres, Pythagorae ad exemplum, hanc de bonorum communione et Dei justitia doctrinam ex Oriente, quem omnis divinae sapientiae fodinam inexhaustam reverebatur gnostica aetas, petiisse linguarumque orientalium propterea guaros fuisse. Sed agite dispiciamus de singulis.

Η ΠΑCΩΝ ΟΥΣΙΩΝ ΚΑΙ ΓΥΝΑΙΚΩΝ ΚΟΙΝΟΤΗC) Hanc bonorum mulierumque communionem Gnostici nostri, ut infra significatur, e Zaradis i. e. Zoroastris et Pythagorae disciplina adoptaverant, vel certe ad hos sacrorum conditores referebant: ita tamen ut in utraque hac doctrina non vetera et genuina Zoroastris et Pythagorae decreta et documenta, sed recentiores Magos librosque nonnullos supposititios sequerentur, quales sub Zoroastris et Pythagorae nominibus apud Neoplatonicos, Eclecticos et Gnosticos circumferebantur, re vera autem Platonismum redolebant. Ac Zoroastres quidem, quantum e Zendavesta colligere licet, tantum abfuit, ut mulierum communionem doceret, ut legislatorum nemo matrimonii sanctitatem magis coluerit (v. Zend-Avesta ex ed. KLEUKERI III, p. 226): ejusque vestigia hac in re pressit Nasaraeorum Gnosis. Recentiores autem Magi non mulierum tantum communionem, sed etiam incestum exercuisse et ista quidem scelera Zoroastris nomine abusi commendasse dicuntur. CLEM. ALEX. Stromm. III, §. 2. p. 515 Pott.: *Ξάνθος ἐν τοῖς ἐπιγραφομένοις*

49) DODWELL *a topographical tour through Greece* p. 516.

50) Secundum Olympiades tempus primus computasse fertur Timaeus, post eum Polybius et Diodorus Siculus. Cf. POLYB. XII, 12. IX, 1. §. 1. et fragmentum ap. Syncellum, v. POLYB. ed. SCHWEIGH. T. V. p. 31.

50 b) Olympiade octogesima sexta floruisse Democritum, Empedoclem, Hippocratem, Prodicum, Zenonem et Parmenidem (?) auctores sunt CYRILL. adv. JULIAN. I. p. 13. et EUSEBIUS in Chronico, quales scriptores forte ante oculos habuit noster. SOCRATEM hoc tempore triginta fere annos natum fuisse constat.

50 c) PLATONEM plerique Olymp. LXXXVIII 1, quidam 4, alii LXXXVII, 3 editum esse volunt (vide interpp. ad DIOG. LAERT. III, 1). Multo magis a temporum rationibus aberrasse Platonicos recentiores et Gnosticos, infra videbimus, ubi Pythagoram et Zoroastrem aequales fuisse posuerunt.

Μαγικοῖς, Μίγνυνται δὲ, φησὶν, οἱ μάγοι μητράσι καὶ θυγατράσι· καὶ ἀδελφαῖς μίγνυσθαι θεμιτὸν εἶναι· κοινάς τε εἶναι τὰς γυναῖκας; οὐ βίᾳ καὶ λάθρα, ἀλλὰ συναινούντων ἀμφοτέρων, ὅταν θέλῃ γῆμαι ὁ ἕτερος τὴν τοῦ ἑτέρου. (Cf. quae adnotavit POTTERUS e Tertulliano, Origene, Pseudoclemente). THEODORETUS graec. affect. curat. T. IV. p. 935 ed. SCHULZ.: *ἀλλὰ κατὰ τοὺς Ζαράδου πάλαι Πέρσαι πολιτευόμενοι νόμους, καὶ μητράσι καὶ ἀδελφαῖς ἀδεῶς, καὶ μέντοι καὶ θυγατράσι μιγνύμενοι, καὶ νόμον ἔννομον τὴν παρανομίαν νομίζοντες, ἐπειδὴ τῆς τῶν ἁλιέων νομοθεσίας* (Christi disciplinam significat) *ὑπήκουσαν, τοὺς μὲν Ζαράδου νόμους ὡς παρανομίαν ἐπάτησαν, τὴν εὐαγγελικὴν δὲ σωφροσύνην ἠγάπησαν.* Ac Justiniano et Justino I regnantibus a Mazdaco quodam (مزدک الزنديق vulgo dicto) foedissimum institutum renovatum esse memoriae prodiderunt Scharistanius Arabs aliique scriptores, qua de re audiamus POCOCKIUM in spec. hist. Arabum ed. White p. 71: „Digna est relatu historia, quae apud Abulfedam in vita Anusherwani occurrit; quae ut intelligatur, praemittendum, quod in vita Cobadis de Mazdaco ejusque doctrina refert: ipsum scilicet se prophetam mentitum praecepisse hominibus بالتساوى فى الاموال وان يشركوا فى النسا لانهم اخوة لاب وام ادم وحوا i. e. *ut opes et uxores communes haberent, utpote qui fratres essent iisdem parentibus Adamo et Eva geniti.* Si quidem (ut refert Scharestanius, qui eum ejusque asseclas inter Manichaeorum sectas refert), cum omnia inter homines dissidia, odia et bella tolli vellet, quae plerumque بسبب النسا واموال i. e. *mulierum et opum causa* oriri videret, non aliter qualem sibi finxit pacem stabiliri posse autumavit, quam si ea, quae unusquisque sibi maxime propria ducit, omnibus communia faceret, eodem modo, quo se habent الما والنار والكلا *aqua, ignis et gramen.*" Placuit doctrina talis multis inopibus et nebulonibus e plebe, ipse rex Cobades, homo stolidus, Mazdaci religionem amplexus est, et res eo devenit, ut divitum uxores et opes in raptum et rapinam cederent. Hinc vero factum est, ut Persidis Magnates Cobadem de solio deturbarent, filiusque patre melior Anuschiruan Mazdaco cum asseclis interfecto, illisque, qui a Mazdacianis Venere promiscua geniti fuerant, legitimis uxorum maritis vernarum loco datis, imperii statum restitueret. Cf. HYDE de rel. vet. Pers. c. XXI, p. 289. KLEUKER *Anhang zum Zend-Avesta* II, p. 212. D'HERBELOT bibl. orient. v. Mazdak, et ex Occidentalibus AGATHIAM lib IV. p. 58. THEODOR. *lect.* II, p. 567. Istos autem homines nefarios Zoroastris nomine in hac ipsa doctrina abusos esse, inde apparet, quod Zoroastris secta *κατ' ἐξοχὴν* appellati sunt. AMRUS in vita Acacii apud ASSEM. in bibl. orient. T. III. P. I. pag. 402: ولما ملك قباد بن فيروز . . . وراى ان يقوى مذهب زردشت فى اباحة النسا والرجال اباحة البعض مع البعض *quum Cavadus, Pherozis filius, regnum suscepisset . . . . Zoroastris sectam de communi feminarum virorumque commercio stabilire conatus est.* Exstitisse etiam libros Zoroastri tributos, in quibus haec licita esse doceantur, tradunt Arabes, referente POCOCKIO (l. c. p. 153): „At mira sunt, quae de libro isto referunt Al Jannabius et Ahmed Ebn Jusef; scilicet duodecim voluminibus, quorum singula corio taurino integro compingerentur, constitisse, permitti ejus auctoritate matrem, sororem, filiam in uxorem sumere (sic et ipse Abulfeda in vita Azdshiri praedicti, eum, quod Magorum licitum, filiam duxisse scribit) cum alias multa in eum e Davidis Psalmis translata sint, ignis cultum praecepisse, ac Keblam ejus cultoribus

orientem, unde luminarium ortus, statuisse (ABULF. in کشتشنه)." MAZDACI nomen supra in inscr. II. deprehendimus.

PYTHAGORAM bonorum commune consortium non solum commendasse, sed cum toto discipulorum coetu in tali societate vixisse, satis constat (v. JAMBLICHI vit. Pythagorae V, no. 29. VI, no. 30. XVIII, no. 81. XXX, no. 168), neque ignota sunt similia Essenorum Therapeutarumque instituta ex imitatione Pythagoreorum probabiliter orta (v. JOSEPH. de b. j. II, 8. §. 4. PHILO quod omnis probus liber sit p. 878. A.), laudanda magis quam vituperanda, ut ecclesiam hierosolymitanam monachorumque institutum taceamus. Sed de mulierum consortio nihil, quantum scimus, Pythagoras docuit, illudque Platonis et Stoicorum decretum falsa quadam consecutione e Pythagorae summo principio „amicorum omnia communia esse" derivasse videntur Gnostici et Eclectici. PLATONIS locus in libro V de republica exstat p. 455, ubi lege sanciendum esse putat: *τὰς γυναῖκας τῶν ἀνδρῶν πάντων πάσας εἶναι κοινάς, ἰδίᾳ δὲ μηδενὶ μηδεμίαν συνοικεῖν.* De Stoicis autem DIOG. LAERT. in Zenone VII, s. 131: *ἀρέσκει δὲ αὐτοῖς καὶ κοινὰς εἶναι τὰς γυναῖκας δεῖν παρὰ τοῖς σοφοῖς, ὥστε τὸν ἐντυχόντα τῇ ἐντυχούσῃ χρῆσθαι κ. τ. λ.* PSEUDOCLEMENS denique, seculi secundi tertiive Christianus Neoplatonismi praeceptis imbutus, Recognit. X, 5: *Communis enim usus omnium, quae sunt in mundo, omnibus esse hominibus debuit; sed per iniquitatem alius hoc suum dicit esse alius illud; et sic inter mortales divisio facta est. Denique, Graecorum quidem sapientissimus haec ita sciens esse, ait: communia debere esse amicorum omnia: in omnibus autem sunt sine dubio et conjuges* cet.

ΠΗΓΗ ΤΗϹ ΘΕΙΑϹ ΕϹΤΙ ΔΙΚΑΙΟϹΥΝΗϹ) Verba ab initio ita intellexeram, quasi in bonorum mulierumque communitate posita esset Dei justitia, quemadmodum Epiphanes docet in fragmento apud Clementem. Sed contra *ἡ πασῶν οὐσιῶν καὶ γυναικῶν κοινότης* fons esse dicitur *τῆς θείας δικαιοσύνης*. *Θεία* igitur *δικαιοσύνη* eodem sensu accipienda erit, quo in N. T. *ἡ τοῦ θεοῦ δικαιοσύνη* Rom. X, 3, nimirum sensu *justificationis per Deum, favorisque divini,* et *remissionis peccatorum,* cf. Rom. I, 7. III, 21. 22. OECUMENIUS in Rom. III, p. 269: *Δικαιοσύνη θεοῦ, ἡ παρὰ θεοῦ διδομένη· ἤ, ἡ ἀπὸ θεοῦ δικαίωσις καὶ ἀθῷωσις, καὶ ἀπαλλαγὴ τῶν ἁμαρτιῶν.* Id. in 2 Cor. V, p. 529: *θεοῦ δικαιοσύνη, τὸ μὴ ἐξ ἔργων ἀλλὰ διὰ συγχωρήσεως δικαιωθῆναι.* Vide SUIC. *thes. eccles.* s. v. *δικαιοσύνη.* Eodem sensu in altera inscriptione extat: *τοῦτο γὰρ ἡ τῆς δικαιοσύνης πηγή.*


ΕΙΡΗΝΗ ΤΕ ΤΕΛΕΙΑ) Junge: *Communio bonorum est fons justificationis et pax perfecta* cet. q. d. et fons pacis perfectae. *Εἰρήνην* ex usu loquendi Bibliorum scriptorumque christianorum instar hebraei שלום, non *pacem* tantum, sed *salutem felicitatemque* in universum denotare perspicuum est. Cf. inscriptionem aramaeam. Ad verba cf. ISID. PELUS. Epist. 246: *ἡ εἰρήνη, τῇ δικαιοσύνῃ συγκεκραμένη, θεῖόν ἐστι χρῆμα.*

ΤΟΙϹ ΤΟΥ ΤΥΦΛΟΥ ΟΧΛΟΥ ΕΚΛΕΚΤΟΙϹ) *ἐκλεκτοὶ* vocabulum est Gnosticis proprium de hominibus perfectioribus et intelligentioribus, qui alibi eodem sensu οἱ *τέλειοι, πνευματικοί*, appellantur, quibusque modo solos philosophos, Gnosticos mysteriisque imbutos,

modo omnes omnino Christianos intelligunt. Vide de electis ex mente Basilidis Clem. *Strömm.* IV, p. 639. ed. Pott. II, p. 455, ex mente Clementis eund. V, p. 706 (coll. Plat. de republ. III, p. 628). VI, 803. Apud Manichaeos *electi* erant, qui in primo sectae ordine constituti erant (Epiph. haeres. 66. §. 53. Acta Archelai cap. X. Anathematismi apud Cotel. ad Pseudoclem. IV, 27. Moshem. Commentt. p. 897): apud Zabios ܒܚܝܪ̈ܐ, ܡܫܡܫܢܐ, apud Samaritanos medii aevi לקיומהמג dicti (v. Anecdota orientalia pag. 99). Opponuntur plerumque *οἱ πολλοί, οἱ σαρκικοί*, ut h. l. *τυφλὸς ὄχλος*. Aliquando tria hominum genera distinguebant, *πνευματικοὺς* s. *ἐκλεκτούς, ψυχικούς, σαρκικούς*.

ΑΓΑΘΟΙϹ ΑΝΔΡΑϹΙ) *Ἀγαθοσύνης* vocabulum h. l. de *electis* cum emphasi usurpatur. Cf. quomodo *κακοί, δίκαιοι, ἀγαθοί* distinguuntur ap. Bardesanem in Euseb. praep. evang. VI, 10.

ΟΥϹ ΖΑΡΑΔΗϹ ΤΕ ΚΑΙ ΠΥΘΑΓΟΡΑϹ) *Zaradem* eundem esse ac Zoroastrem, in antecedentibus posuimus, idque dudum viderunt viri docti, ut Hyde de rel. vet. Persarum cap. 24. p. 309 sq. Beausobre hist. du Manicheisme T. I. p. 30. Salmasius de lingua hellenist. p. 368. inprimis Cotelerius ad Clem. Recognit. IV, 27, cf. etiam Fabric. bibl. Gr. T. I. pag. 304. ed. Harles. Hujus tamen loci est, paulo uberius hoc argumentum retractare. Nimirum quemadmodum *Zoroastris* nomen, quod unum de hoc Persarum legislatore apud antiquiores usque ad Christum natum scriptores legitur, fluxit e forma hujus nominis in antiquioribus Persiae dialectis, Zendica et Pehlevica, *Zeretoschtro*,



Zaratuschtrisch
Zaratuschtra
Zaratuschtru

(v. Hyde l. c. Zend-Avesta ex ed. Kleukeri T. III, p. 1 sq.), ita e recentioribus, quas nomen habet in dialecto Parsi, recentiore lingua persica, arabica et syriaca formis, ut *Zertuscht*, زرادشت *Zaraduscht*, زراتشت *Zaratuscht*, زردهشت *Zerduscht*, *Zerdascht* (vide Hyde l. c. Lex. Borhani-Qatiu s. h. v. et passim), ܙܪܕܘܫܬ (Barbahlul ap. Hydium pag. 310. Ebedjesu in Assem. Bibl. T. III. P. I. pag. 229. 316) finxerunt recentiores vocabuli formae apud Graecos, *Ζαράδης, Ζαράτας, Ζοροάδης*, et quae ex his corruptae sunt *Ζάβρατος, Ζασράδης, Ναζάρατος, Ζάρης*. Ac *Ζαράδης* quidem praeter Theodoretum l. supra citato legitur apud Agathiam *de imperio et rebus Justiniani* (Lugd. Bat. 1544 fol.) pag. 58: *οὗτος δὲ Ζωρόαδος, ἤτοι Ζαράδης (διττὴ γὰρ ἐπ' αὐτῷ ἡ ἐπωνυμία), ὁπηνίκα μὲν ἤκμασε τὴν ἀρχὴν καὶ τοὺς νόμους ἔθετο, οὐκ ἔνεστι σαφῶς διαγνῶναι:* et in Anathematismis a Manichaeis in abjuranda haeresi pronuntiandis a Cotelerio l. c. et apud Tollium (insignia itinerarii italici p. 134) editis: *Ἀναθεματίζω Μάνεντα τὸν καὶ Μανιχαῖον καὶ Κούβρικον .... ἀναθεματίζω Ζαράδην, ὃν ὁ Μάνης*

θεὸν ἔλεγε πρὸ αὐτοῦ φανέντα παρ' Ἰνδοῖς καὶ Πέρσαις, καὶ ἥλιον ἀπεκάλει. σὺν αὐτῷ δὲ καὶ τὰς Ζαραδείους ὀνομαζομένας εὐχάς, et ibidem inferius *ἀναθεματίζω τοὺς τὸν Ζαράδην, καὶ Βουδᾶν, καὶ τὸν Χριστὸν, καὶ τὸν Μανιχαῖον, καὶ τὸν ἥλιον, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν εἶναι λέγοντας*. Cf. Euchologium Goarianum p. 865. Parum differt *Ζοράδης* ap. Victor. Afrum adv. Manich. et *Ζωρόαδος* supra ap. Agathiam. Duriore pronuntiatione *Zaratas* audit PLUTARCHO *περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας* §. 2. T. V. pag. 124 Wyttenb. *καὶ Ζαράτας ὁ Πυθαγόρου διδάσκαλος ταύτην* (numerum binarium dicit) *μὲν ἐκάλει τοῦ ἀριθμοῦ μητέρα, τὸ δὲ ἓν, πατέρα*, et auctori *φιλοσοφουμένων* in Opp. Origenis T. I. pag. 881 ed. de la Rue: *Διόδωρος δὲ ὁ Ἐρετριεὺς καὶ Ἀριστόξενος ὁ Μουσικός φασι πρὸς Ζαράταν τὸν Χαλδαῖον ἐληλυθέναι Πυθαγόραν· τὸν δὲ ἐκθέσθαι αὐτῷ δύο εἶναι ἀπ' ἀρχῆς τοῖς οὖσιν αἴτια κ. τ. λ. ... περὶ δὲ τῶν ἐκ γῆς καὶ κόσμου γινομένων τάδε φάσι λέγειν τὸν Ζαράταν· δύο δαίμονας εἶναι, τὸν μὲν οὐράνιον, τὸν δὲ χθόνιον ..... κυάμους δὲ λέγεται παραγγέλλειν μὴ ἐσθίειν, αἰτίᾳ τοῦ τὸν Ζαράταν εἰρηκέναι κατὰ τὴν ἀρχὴν καὶ σύγκρισιν τῶν πάντων συνισταμένης τῆς γῆς ἔτι καὶ συνσεσημμένης γενέσθαι τὸν κύαμον*. Paulo vitiosior est scriptio *Ζάβρατος* apud PORPHYR. vit. Pythag. p. 185: *καὶ πρὸς Ζάβρατον ἀφίκετο* — item *Ζασράδης* Theodori Mopsvesteni apud Phot. cod. 81: *ἐκτίθεται τὸ μιαρὸν τῶν Περσῶν δόγμα, ὃ Ζασράδης εἰσηγήσατο, ἤτοι περὶ τοῦ Ζαρουάμ* (Zeruane akerene significatur) *ὃν ἀρχηγὸν πάντων εἰσάγει; Ζάρης* (ητος) apud SUIDAM v. *Πυθαγόρας: Πυθαγόρας εἶτα ἤκουσε πρῶτον Φερεκύδου τοῦ Συρίου — καὶ Ζάρητος τοῦ Μάγου; Ζαράνης* ap. PETR. Siculum histor. pag. 30, denique *Ναζάρατος* Alexandri Polyhistoris apud CLEMENTEM ALEXANDRINUM Stromm. I, pag. 304: *Ἀλέξανδρος ἐν τῷ περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων Ναζαράτῳ τῷ Ἀσσυρίῳ μαθητεῦσαι ἱστορεῖ τὸν Πυθαγόραν*. Recte dudum HUETIUS (demonstr. evang. propos. 4) legendum esse vidit *Ζαράτῳ*, omnemque hanc scripturae diversitatem magnam partem a librariorum inscitia pendere, docet Cyrilli Alexandrini locus, in quo eadem ex Alexandro Polyhistore, vel e Clemente repetit, qui locus ita legitur in editt. nostris (contra Julian. IV, p. 133, Opp. Juliani, Lips. 1646): *ἱστορεῖ γοῦν Ἀλέξανδρος ὁ ἐπίκλην Πολυΐστωρ ἐν τῷ περὶ πυθαγορικῶν συμβόλων, Ἀσσυρίῳ τὸ γένος ὄντι τῷ Ζάρῃ φοιτῆσαι τὸν Πυθαγόραν*. Iste, qui *Ναζάρατον* dedit, librarius de Nazaretha l. Nazareno cogitasse videtur.

Ex his quae diximus apparebit, non temere scripsisse *τὸν πάνυ* CLAUDIUM SALMASIUM l. c.: „a *recentioribus* propius ad verum nomen expressum *Ζαράδης*, *Ζαράδας* atque etiam *Ζάρατος*, quia persice etiam scribitur *Zaradust* —“: neque erat, cur STANLEJUS (in indice ad histor. philos.) eum taxaret his verbis: „Hactenus Salmasius, quem optassem conjecturarum „suarum argumenta attulisse: sed vir summus passim quasi historias suas divinationes „narrat.“

Ac *Zaradem* et *Zoroastrem* unum eundemque hominem fuisse, e doctioribus unus, quantum video, dubitavit BRUCKERUS (hist. philos. T. I. p. 1006) *), argumento tamen usus levissimo. Videns enim, Zoroastrem Pythagora antiquiorem esse, et utrumque vix coaevos

*) Probabilis, non certa, haec res visa est NEANDRO (*gnostische Systeme* p. 78) et CREUZERO (*Symbolik* I, 667. IV, 543).

esse potuisse, totam illam de Pythagorae in Orientem itinere et cum Zoroastre commercio in dubium vocavit, vel certe Zaradem, qui vulgo Pythagorae magister appellatur, hominem a Zoroastre diversum atque paulo seriorem fuisse conjectavit. Ac quae a temporis rationibus repetita sunt, dubitationibus lubentes subscribimus, totumque illud Pythagorae cum Zoroastre commercium Criticorum arbitrio facile permittimus: at persuasum sibi habuisse serioris aevi Graecos, ipsius Zoroastris auditorem fuisse Pythagoram, et Zaradem nullum alium esse atque Zoroastrem, id praeter Theodoreti, Theodori Mopsvesteni, Agathiae loca, in quibus Zarades vel Zasrades Persarum legislator est, alia loca probant, in quibus non Zarades, sed ipse Zoroastres Pythagorae magister appellatur. Apulej. Florid. II. *„Ajunt Pythagoram, cum inter captivos Cambysis adveheretur, doctores habuisse Persarum Magos, ac praecipue Zoroastrem, omnis divini arcani antistitem.“* Clemens Alexandrinus Stromm. I, pag. 357: *Ζωροάστρην δὲ τὸν Μάγον τὸν Πέρσην ὁ Πυθαγόρας ἐδήλωσεν*, vel potius *ἐζήλωσεν* (aemulatus est), ut legit Canterus et olim Cyrillus Alex. contra Julian. III, p. 87, qui Pythagoram appellat Zoroastris *πανάριστον ζηλωτήν*. Quid? quod in altera inscriptione pro Zarade Pythagoram praecedit *Ζωροάστρης*. Bruckeri, Foucherii aliorumque de duobus tribusve Zoroastribus somnia h. l. refutare non attinet. Quo vero jure Zoroastri atque Pythagorae tale decretum tribuatur, ad lin. 1. vidimus.

ΤΩΝ ΙΕΡΟΦΑΝΤΩΝ ΑΡΙΣΤΟΙ) Vocis *ἱεροφάντης* proprius usus est in mysteriis Eleusiniis, ubi ita vocatur ὁ *τὰ ἱερὰ φαίνων*, sacrorum interpres ac summus antistes, ex Eumolpi gente oriundus, cujus erat, initiandos docere sacra et ceremonias, initiatos in interiora admittere, mysteria interpretari, *μυσταγωγος* quoque et *προφήτης* dictus. Meursii Eleusinia c. XIII. Vide St. Croix Recherches sur les mysteres ed. de Sacy pag. 218. vers. germ. ed. Lenz. p. 153 sq. Creuzer *Symbolik und Mythologie* IV, pag. 482 sq. 500 et de sacerdotibus feminis, *ἱεροφαντίδες*, *προφαντίδες* dictis, ibid. pag. 487. Eum proxime excipiebat ὁ *δᾳδοῦχος*, hunc *ἱεροκήρυκες*. Aegyptiis quoque hierophantas tribuit Tertullian. adv. Marcion. I, 13. A Philosophis postmodo alexandrinis, tum gentilibus, tum judaicis et christianis, iis potissimum, qui altiorem quandam et arcanam scientiam (*γνῶσιν*) sectabantur, vox adhibita est de sacrorum mysteriorumque conditoribus ac de omnibus, qui sacra interiora docuisse ferebantur, tum apud Ethnicos, tum apud Judaeos et Christianos. Ac Philo quidem tum *Mosen*, tum alios etiam sacros scriptores, ut *Jeremiam*, atque adeo *Septuaginta interpretes hierophantarum* nomine compellat, hoc et alia vocabula a Graecorum mysteriis ad Hebraeorum sacra transferens. Allegor. lib. III. T. I. p. 121 ed. Mang.: *διδάσκεται δὲ ὑπὸ τοῦ ἱεροφάντου καὶ προφήτου Μωϋσέως.* De Gigant. T. I. p. 270 Mang.: *οὕτω καὶ Μωϋσῆς . . . εἰς τὸν γνόφον, τὸν ἀειδῆ χῶρον, εἰςελθών, αὐτοῦ καταμένει, τελούμενος τὰς ἱερωτάτας τελετάς. Γίνεται δὲ οὐ μόνον μύστης, ἀλλὰ καὶ ἱεροφάντης ὀργίων καὶ διδάσκαλος θείων, ἃ τοῖς ὦτα κεκαθαρμένοις ὑφηγήσεται.* De vita Mosis p. 510 (ed. Colon.) in laude LXX interpretum, et Graecos hebraice (*χαλδαϊκὴν γλῶσσαν*), doctos et Hebraeos graece doctos quotidie admirari dicit horum interpretum *ἀκρίβειαν*: *οὐχ ἑρμη-*

νεῖς ἐκείνου;, *ἀλλ' ἱεροφάντας καὶ προφήτας προςαγορεύοντες.* Prae caeteris memorabilis est locus de Cherubim T. I. pag. 148: *καὶ γὰρ ἐγὼ παρὰ Μωσεῖ τῷ θεοφιλεῖ μυηθεὶς τὰ μεγάλα μυστήρια, ὅμως αὖθις Ἱερεμίαν τὸν προφήτην ἰδὼν, καὶ γνοὺς ὅτι οὐ μόνον μύστης ἐστὶν, ἀλλὰ καὶ ἱεροφάντης ἱκανὸς, οὐκ ὤκνησα φοιτῆσαι πρὸς αὐτόν.* CLEMENTI ALEXANDRINO tum Orpheus est hierophanta (cohort. ad gent. T. I. p. 63. Pott.: *ὁ δὲ θρᾴκιος ἱεροφάντης καὶ ποιητὴς ἅμα, ὁ τοῦ Οἰάγρου Ὀρφεὺς μετὰ τὴν τῶν ὀργίων ἱεροφαντίαν καὶ τῶν εἰδώλων τὴν θεολογίαν κ. τ. λ.*) tum propria de rebus christianis disciplina interior *ὄντως θεία ἱεροφαντία* vocatur (Stromm. lib. IV, cap. I.). Neque aliter SYNESIUS Cyrenaeus (v. supra pag. 15). Synonyma sunt *ἱερομύστης* (v. HESYCH. SUIDAS, his vocc.) et *ἱεροτελεστής*, quae apud PSEUDODIONYSIUM (de divinis nomm. cap. II, de hierarch. eccles. cap. I. cf. MAXIMUS ad h. l.) *de Apostolis* et *de Christo*, utpote *πρώτῳ ἱεροτελεστῇ* usurpantur. Apud Carpocratianos nostros Cyrenaicos *hierophantarum* nomine haud dubie ii fere salutabantur philosophi et sacrorum conditores, quorum imagines in templis collocatas habebant (v. not. 22), vel quorum nomina in altera inscriptione extant, quorumque *principes* h. l. Zoroastres et Pythagoras nominantur.

ΚΟΙΝΗ ΣΥΜΒΙΩΤΕΙΝ) Verbum *Συμβιωτέω* in Lexx. vulgaribus desideratur, soletque apud Patres communis vivendi ratio alibi verbo *συμβιοτεύω* exprimi (v. THEODORETI Opp. ed. Schulz T. I. pag. 914. SYNESIUS ed. Petav. p. 178). In sola thesauri STEPHANIANI nova editione (pag. 2751) annotatum invenio: „„*συμβιωτέω* M. Anton. XI, 8.“ WAKEF. MSS.“ In Marci Antonini loco laudato vocabulum tamen non legitur, ita ut dubius haeream, utrum in loco citando vitium admissum sit, an illo ipso loco a WAKEFIELDIO in locum corruptae vocis *συνδογμεύω*, quae tantopere torsit interpretes, e Manuscriptis haec vox sit substituta. Quomodocunque autem apud Antoninum res se habeat, vox ista, quanquam fortasse *ἅπαξ λεγομένη*, *ἀναλόγως* ducitur a substantivo *συμβιωτής* (Polyb. VIII, 12 §. 3. Apocr. de dracone comm. 2: *ἦν Δανιὴλ συμβιωτὴς τοῦ βασιλέως*), ut *ἱεροφάντης*, *ἱεροφαντέω*; *νομοθέτης*, *νομοθετέω*. Rarior quidem est ista verborum compositorum a verbalibus derivatio, ubi compositio est cum praepositionibus, quandoquidem praepositio ipsi verbo praefigi solet. Sed neque hujus formationis exempla desunt. Graeci habent *συμπαθέω* Job. II, 11 vers. Alex. (a *συμπαθής*) et *συμπάσχω*; *παραστατεῖν* (a *παραστάτης*) et *παραστῆναι*; *συγγνωμονέω* (LOBECK. ad Phryn. p. 382) et *συγγινώσκω*; *συνεργέω* (a *συνεργὸς*) et *συνεργάζομαι* cet.

Possis forsan etiam conjicere, autorem scribere voluisse *οὓς* — *συμβιωτέον συνίεντο* i. e. *οὓς*, sive quod idem est, *οἷς* — *συμβιωτέον ὂν συνίεντο* *quibus convivendum esse intelligebant* (coll. de hac ellipsi locis Soph. Antig. 467. Herm. Oed. Colon. 1200), nec longe abest figura τοῦ Iota ab O quadrato: sed nolumus necessitate non urgente scripturam nobis traditam sollicitare.

ΣΥΝΙΕΝΤΟ) Dubiae interpretationis vocabulum, quandoquidem medium *συνίεσθαι*, pedestris sermonis scriptoribus ut videtur prorsus inusitatum, nonnisi apud Homerum (cujus vocabula revocare solebant byzantinae aetatis scriptores, vide Ill. HASIUM in ind. ad

Leon. Diac. passim) obvium est. Et altero quidem loco (Il. 13, 581 . . . ὄφρ' ἐπὶ νηυσὶ συνώμεθα ποντοπόροισι Ἀμφὶ γάμῳ·) *inter se conveniendi, paciscendique*, altero (Od. IV, 76) *intelligendi* habet potestatem, quae in activo vulgaris est et usitatissima. Praeterea apud HESYCHIUM est: ξυνίεσθαι, συνεῖναι, συμβαλεῖν, ubi male ALBERTIUS corrigendum putat ξυνίεσθαι, est enim συνεῖναι h. l. aoristus, non praesens. EUSTATHIUS ad Il. l. c. ποιητικὴ λέξις, δηλοῖ δὲ τὸ συνθώμεθα, μᾶλλον δὲ συνβῶμεν. Atque hunc loquendi usum si adhibes, verba οὓς — συμβιωτεῖν συνίεντο vertenda erunt, ut supra fecimus: *quos una vivere consentiebant Z. et P.*, i. e. quibus (honestis et electis viris) communem vitae rationem convenire, consona voce docuerunt Zoroaster et Pythagoras. Congruit alterius inscriptionis phrasis συμφώνως ἐντέλλωσιν ἡμῖν: solaeque fortasse obstant particulae τε καὶ duobus nominibus propriis interjectae, quae tamen male adhibitae esse possunt a sequioris aetatis auctore, veteris Graecitatis magis aemulo quam perito. Vulgarem *intelligendi* potestatem si praetuleris, sensus parum diversus erit, mediumque pro activo posuisse putari potest inscriptionis auctor, vel quod in fine magis sonorum esset vel quod aliquam antiquitatis haberet speciem. Vertendus erit locus: quos συμβιώτας esse intelligebant vel sibi persuadebant Z. et P. Collatis locis Il. I, 8. VII, 210 denique interpretari possis: quos, ut una viverent, commiserunt, conduxerunt (*zusammen geführt haben*).

CAP. III.

De inscriptionis parte phoenicia.

Tres, quas sermone literisque orientalibus composuit impostor, lineae cum quinque literis currui superne imminentibus, literarum figuram si spectamus, antiquitatem satis remotam prae se ferunt [51]), dialectum vero et orthographiam si reputamus, et sequioris aetatis auctorem, et linguae semiticae vix satis peritum arguunt.

Ut enim paucis dicam, quod sentio, literarum figurae paucis exceptis veteres vulgaresque sunt phoeniciae, dialectus vero et orthographia prope accedunt ad dialectum atque orthographiam Zabiorum s. Nazoraeorum i. e. Gnosticorum nostris fere coaevorum, quanquam a fide christiana alienorum, inter hebraeam, chaldaeam et syriacam fere intermediam, potuitque haec dialectus aramaea e Gnosticorum syriacorum libris nostris etiam in Africa haereticis facile innotescere [52]). Inprimis ex hac analogia explicandus est immodicus et effusus matrum lectionis usus, qualem in nullo alio marmore adhuc cognito deprehenderis.

---

51) De monumentorum phoeniciorum punicorumque aetate h. l. accuratius disputare non attinet, et monuisse sufficiat, recentissima primo aerae christianae seculo exarata esse videri.

52) E libris Zabiorum unus prodiit integer, a NORBERGIO editus, et ita inscriptus: *Codex Nasaraeus* (imo Nasoraeus), *liber Adami dictus.* Lond. Gothorum T. I—III. 1815. 1816, adde *Lexidion* ad Cod. Nasar. ibid. T. I. II. 1817. Cf. epitomen, quam dedimus, cum animadversionibus *Jen. A. L. Z.* 1817, no. 48—51, et *Probeheft zur hallischen Encyclopädie*, Art. *Zabier.*

Verba singula ita lego et interpretor:

יהומא

שלום שירכא באסדאקא פאין
שלום סדאקא באתורא הסטר
שלום תורא באשאלום אסטר

Judae.

Pax consortibus justitiae, fons
Pacis justitia, in lege consummatur
Pax, legem in pace perfice.

Vident lectores, non, quod primo obtutu aliquis putaverit, singulas lineas singulas continere sententias, sed quatuor potius tribus lineis commata comprehendi, artificiose tamen ita disposita, ut vocabulum שלום ter lineam ordiatur.

Jam singula persequamur, nostram qualemcunque sententiam argumentis palaeographicis et philologicis confirmaturi, nec desperantes fore, ut iis viris doctis (quos solos legitimos judices agnoscimus) eam persuadeamus, qui non literarum tantum figuras accurate observare, sed linguarum etiam semiticarum ingenium reputare consueverunt. Quod ad prius illud attinet, Barthelemii et Koppii nostri curas [53]) honoris causa nominasse sufficiet.

Ordiamur a quinque literis in cacumine monumenti positis. *Prima*, quae *Jod* est, hac forma bis in prima inscriptionis linea, recurrit, et praeterea ita extat in nummis Hasmonaeorum et in nummo phoenicio Asiae minoris apud Mionnetum (Descriptions des medailles, recueil des planches LXI, 1), quem tractavit Koppius (II, pag. 242). De vi *secundae* et *quintae* nemo dubitabit. *Tertiam*, a Palaeographis quos inspexi non notatam, quae sexies praeterea in inscriptione nostra extat, pro *Waw* habendam esse, vel e vocabulo שלום colligi potest eademque fere in monumento phoenicio-babylonico extat apud Koppium (II, p. 154, cf. I, p. 237); quanquam non reticendum, huic simillimam formam in aliis monumentis africanis *Jod* esse videri [54]). *Jod* vero in nostro monumento aliam sibique propriam figuram habet, et duo haec

---

Accuratius tamen et servata orthographia editum est alius cujusdam libri Nasoraei fragmentum a Lorsbachio (Staeudlinii *Beyträge zur Philos. und Geschichte der Religion* cet. T. V).

53) *Bilder und Schriften der Vorzeit* T. I. p. 00. T. II. p. 95 sq.

54) Inscriptio nummorum Cossuraeorum, quae in quibusdam exemplaribus manifestum habet Jod, in aliis nostram figuram exhibet. Cf. varia exemplaria in d'Orvillii Siculis tab. XV, no. 8. 9 et in F. P. Bayeri notis ad Sallustium p. 362. In omnibus me judice, legendum אִי בָּנִים (insula filiorum), neque vero אִי רָנִים cum Koppio (l. c. II, 196), quod utrum *insula victoriarum* verti possit, vehementer equidem dubito. Illud coloniae phoeniciae nomen non ineptum.

elementa ita inter se cognata sibique vicina sunt, v. c. in codicibus samaritanis, ut difficulter discernantur [55]). De *quarta* litera, quae *Tet* est, facile conveniet inter Palaeographos. Sed quid tandem quinque illae literae יהוטא? Fateor, me ab initio de quodam scribentis errore deque nomine יהוה vel יהוא restituendo cogitasse. Sed mox abjeci conjecturam audaculam, cum meminissem, *Judam* apostolum apud haereticos nostros tanto in honore haberi, ut divinum quid ei tribuerent (v. p. 9 not. 29), atque idem nomen a Gnosticis nasoraeis per ט pro ד scribi (cf. ܝܗܘܛܝܐ *Judaei* Cod. Nasar. T. I. pag. 88 vel יאהוטאייא ap. LORSBACHIUM l. c. p. 12) [56]), neque ullus dubito, quin Carpocratianus noster *Judaïta* fuerit, ejusque quem prae caeteris reverebatur apostoli nomen in vertice monumenti posuerit, quemadmodum Simonem Cyrenaeum alterius inscriptionis auctor.

Lineae primae secunda vox est שירכא, in qua de literarum vi et figura nihil observandum, quam quod eadem literae ר forma in alio etiam monumento, quod penes me est, carthaginensi inedito extat. Radix ܣܪܟ in codice Nasaraeo est *adjunxit, annexuit* (Norberg. Lexid. pag. 232) i. q. talmud. סרך adhaesit, cohaesit, syr. ܣܪܟ apprehendit, adhaesit (non raro enim ס, ש et שׂ permutantur) [57]) et praecipue arab. شَرَكَ socius, consors fuit (ab adhaerendo); III. consortium inivit, socius factus est, V. VIII. id. c. c. فى. IV. consortem fecit, شِرْكٌ communio, consortium, شَرِيكٌ consors, socius, particeps. In V. T. cognatae significationis sunt radices שָׂרַךְ (unde שְׂרוֹךְ corrigium) et שָׂרַג. Hinc שירכא est i. q. شِرْكٌ consortium ad formam ביטנא graviditas (vide LORSBACH l. c. pag. 13), גיטרא suffitus p. 42, סיפרא liber p. 19, זידקא justitia p. 24, זירא semen pro זירעא pag. 13, מישא oleum pro משחא pag. 31: *Communio* l. *consortium* vero dicitur pro iis qui *consortes, participes* fiunt. Vocabulum in nostra inscriptione construitur cum ב, ut apud Arabes cum فى, a primaria *adhaerendi* potestate.

In tertio vocabulo, quod lego באסדאקא *in justitia*, de prima litera dubitabunt Palaeographi, eaque utpote bis rediens (in באהורא et in באשאלום), ante omnia vindicanda erit.

Praeterea eadem figura conspicitur in nummo quodam africano, quem Boccho numidico vulgo tribuunt, apud DUTENSIUM (*Explication de quelques medailles grecques et pheniciennes* cet. pag. 135) et BAYERUM (l. c. pag. 364), quem eo potissimum consilio nunc laudamus, ut intelligatur aegyptiacae etiam originis vocabula phoenicio charactere scripta esse videri. Vix enim dubito, quin legendum sit לבקי i. e. *ab urbe* (ΒΑΚΙ urbs), praesertim cum in aliis ectypis addatur מלקר (v. PELLERIN. recueil des medailles T. III. p. 120) i. e. *Melicertae*. Sed de his alio loco.


55) Vide Anecdota Orientalia. fasc. I. pag. 6.

56) Nasoraei in Judaeorum nomine scribendo praeter ט etiam ח adhibebant, ut peccandi etymo (a חטא) alluderetur.

57) E. c. שָׂעַר et סָעַר horruit, שִׁלְיָה et סליתא talmud. secundinae, سحط et شحط, שָׁחַט mactavit, קָשָׁה i. q. قسا durus fuit, et i. q. قشا tornavit cet.

Fuerint enim facile, qui *Tau* potius quam *Beth* hoc elementum esse clamarent: neque diffiteor, similem figuram alibi pro *Tau* non male haberi, ut Cit. IV. lin. 1. litt. 7. Cit. XXIX. lin. 2. litt. 2, ut alia taceam incertiora; ut Cit. XIX, lin. 1. litt. 4. Inscr. Pun. Humbert. III, lin. 1. bis.

At vero 1) in nostro documento litera Tau bis praeterea occurrit lin. 2. in באתורא, et lin. 5. in תורא, partim ita perspicua suoque charactere insignis, ut de ea dubitari non possit, partim a nostra litera plane diversa, ita ut haud dubie discrimen notare voluerit sculptor. 2) In omnibus tribus vocabulis litera nostra manifeste praefixi vices gerit, et vel hanc ob causam vel ב est vel כ, מ, ל, ה. Atqui reliquarum figuram plane diversam in ipso nostro documento habemus, praefixum vero ב tantum non flagitat constructio vocis praecedentis שירכא, ne dicam 5) ex omnibus alphabeti literis, quae in hac inscriptione non occurrunt (ג, ז, ח, ב) nullam non huic loco plane ineptam esse, ב autem frequentissimam fere alphabeti literam esse. Nam, quod unum est et maximum in ejusmodi argumentationibus, 4) *palaeographicae* etiam *rationes* nobis favent. Figura enim nostra (eam prae caeteris ante oculos ponas velim, quae est in באחדרא) nihil aliud est ac *Beth paulo negligentius pictum*, capite superne aperto, linea obliqua ultra verticalem protensa et deorsum inflexa. Prius illud, bene monente Koppio (II, §. 100), aramaeum scripturae genus redolet, et obtinet etiam in litera Daleth nostri monumenti. Alterum hoc sive negligentiae et imperitiae, sive falso ornandi studio illud tribuas, itidem locum habet in litera Daleti 4, confer praeterea



Inscr. Cit. XXX, cujus primam lineam lego:

לעמחבתי

לְעֻמַּת בִּתִּי

ad latus filiae meae,

secus ac Koppius (I, p. 245), cui est (ם)לְעֻמַּת זֵתִי *ad latus olivarum.* Vox סדאקא scribitur ad formam גלאלא pro גְּלָלָא (Lorsbach l. c. pag. 22), pro hebraeo צְדָקָה et aram. [illegible], ut [illegible] in MSS. pro [illegible] liber (Adler de vers. N. T. p. 53) et id genus alia. E Barbahlule apud Castellum tanquam syriacum annotatur [illegible] justitia. In prima vocabuli באסדאקא litera Aleph vel latet Hebraeorum articulus, vel est ea pro Patach בַּסְדָקָא, quemadmodum apud Zabios לישמאי *nomen meum,* ביאארודראי *apud fratres meos* (pag. 10). Ad עאין cf. באיתא domus, Lorsbach l. c. p. 20. 22. 24, התאיבאן pro [illegible] p. 26.

Difficillima totius inscriptionis vox, quam tormentum verbi vocaveris cum Hieronymo (vit. Hilarion.) de Basilidianis loquente, ea, est, quae in altera linea tertium locum obtinet: secundum literas in apographo meo חסטד legenda, quod sensu caret, quandoquidem סטד in radicibus semiticis non extat. Sed collata voce ultima lineae tertiae vix dubitandum, quin legendum sit חסטר, sive error latet in apographo, sive ab ipso statuario graeco profectus est. Fortasse haec inscriptio hebraico vel Syriaco charactere (in quo ר et ד facillime permutantur) scripta statuario sermonis orientalis parum vel omnino non perito tradita, isque in phoenicium characterem eam transferre jussus est; in isto autem negotio pro ר dedit ד. Uno id quod posui exemplo illustrare juvat. In Bar Alii Lexico quodam ms., quod Oxonii inspexi, vox ܡܫܚܠܐ explicatur جلبة, quod sensu caret. Legendum جعبة *pharetra.* Hic vero error ab homine arabice scribenti committi non potuit, sed fluxit e codice karschunico, quem describens librarius pro ܓܥܒܗ legit ܓܠܒܗ. Atqui חסטר, quemadmodum אסטר, habuerim pro conjugatione Hiphil vel Aphel verbi סטר, neque tamen *destruendi* potestate, sed a סְטַר, ܣܛܪܐ *latus, ora, finis*, et samar. [Samaritan] *finis* (v. Castell. coll. 2514 et Anecdota mea orient. pag. 140), ut sensus sit: *consummatur, perficitur, τελειοῦται.* Aphel saepissime intransitive accipitur in dialectis aramaeis (v. Lehrgeb. p. 244).

Reliqua ex supra dictis dilucida erunt, unumque moneo, plenam defectivamque scriptionem, ut in שלים et באשאלים, apud Zabios etiam promiscue reperiri, ut כאליק et כליק ascendens, חארובא desertum p. 20. 24 et חרובא p. 22.

Sentatia totius loci satis manifesta est, et egregie concordat cum graecis, inprimis cum alterius inscriptionis argumento. Beatos praedicat auctor justitiae s. favoris divini participes, *legis*que (videlicet mysticae et in mysteriis Carpocratianorum traditae [58]), neque vero mosaicae) observationem tanquam favoris divini salutisque fontem suis commendat.

Cap. IV.

Illustrantur emblemata.

His ita disputatis in emblematis illustrandis parum negotii superesit. Legis mysticae praeco, qualis est monumenti nostri artifex, mysteriorumque sectator a Thesmophoriis aliisque sacris Eleusiniis (quemadmodum Basilidiani a sacris aegyptiacis) in Aegypto etiam celebratis

58) Quae fuerit τοῦ θείου νόμου et δόγματος τοῦ θεοῦ ratio, supra e Clemente Alexandrino intelleximus (pag. 8): vidimusque in altera quoque inscriptione has ipsas *leges* commendari. Cf. supra not. 45.

repetiit, quibus lapidem ornaret, emblemata [59]). Currus a draconibus vectus Cereri *θεσμοφόρῳ*, quae in arcanis illis sacris colebatur, proprius est, deamque tali currui insidentem [60]) nonnunquam taedas manibus praeferentem [61]), in plurimis, ut Eleusidis, Athenarum, Aegypti nummis habemus expressam. Hunc igitur Cereris currum cum draconibus et taedis exhibuit noster, omissa tamen Deae imagine — quam reddere nefas erat homini utcunque christiano — taedisque ipsi currui impositis [62]). Atqui taedis non Cereris tantum *θεσμοφόρου* et *δᾳδούχου* facibus [63]), sed nocturnis etiam apud Eleusinios et suos sacris pervigiliisque allusit, praetereaque lucem fortasse, quae in *lege* est, significavit secundum illud Salomonis (Prov. VI, 23): *etenim lampas est praeceptum, et lumen lex.* Dracones vero non ad Cereris tantum ornatum [64]), sed ad emblemata Gnosticis propria pertinent, eamque ob causam in infima quoque lapidis parte serpentem, quae caudam mordeat, expressam habemus. Ac talem quidem serpentem aeternitatis, sapientiae, spiritusque totum mundum permeantis symbolum fuisse apud nonnullos, qui Ophitarum Serpentariorumve nomine infames sunt, Gnosticos, res nota est [65]): neque minus certum, ab Aegyptiis quibus serpens boni daemonis symbolum erat [66]), hanc imaginem esse repetitam.

* * *

Ut totius jam de hoc monumento disputationis summam paucis verbis comprehendamus, haec fere effecisse nobis videmur:

---

59) De Thesmophoriis sacrisque Eleusiniis v. praeter Meursium et St. Croix, Frid. Creuzerum (*Symbolik* T. IV. p. 442 sq.), cf. not. 36, atque de *lege* in his mysteriis edocta, eundem pag. 518. 519: *„Und was war denn der Inhalt der höhern Mysterien? Alles — nur keine abstracte Metaphysik — aber ebenso wenig eine bloſse Unterweisung in der Oeconomie. Es waren ja Thesmophorien, um bey Athen stehen zu bleiben, diese ältesten religiösen Feste. Es war die Lehre vom cerealischen Gesetze.* De Thesmophoriis Alexandriae celebratis v. Schol. ad Callimach. hymn. ad Cer. init. Creuzer l. c. pag. 445.

60) Vide Haym thes. brit. I. tab. 16. 21. II, tab. 39. Creuzer l. c. 474. Rasche Lex. rei nummariae I, 1224. II, 449.

61) Vide d'Ennery catalog. p. 542. Rasche l. c. VI, p. 1744.

62) Taedas currui impositas nusquam alibi vidi, sed taedae cum serpentibus extant in nummis Ephesiis (v. Rasche T. V. p. 488), taedaeque cistae mysticae impositae cum media serpente in nummis Aegaeorum Ciliciae.

63) Sextus in majoribus mysteriis dies erat *λαμπάδων ἡμέρα*, dictus a solemni panegyri mystarum taedas gestantium, cui sacro igni (*τὸ δᾳδοῦχον πῦρ* v. Himerii Orat. 23, p. 780 ed. Wernsdorf.) lustrandi quaedam vis tribuebatur. V. Meursius c. XXVI. St. Croix I, p. 322 sq. Creuzer IV, 527.

64) Cf. Creuzer l. c. p. 149.

65) Iren. I, 30. §. 15. Theodoret. haeret. fab. c. XIV. Cf. Neander *gnostische Systeme* p. 145.

66) v. quae nonnimus ad Jes. VI, 2. Adde Champollion Panthéon de l'Egypte tab. 3, a, cum commentario. In Indorum quoque mythologia sacri serpentes ut agathodaemonis imagines occurrunt.

1) Monumentum nostrum bilingue a Gnostico cyrenaeo, Carpocratis potissimum et Judaïtarum castra secuto, confictum est eo consilio, ut turpe de booorum mulierumq communione decretum Zoroastris et Pythagorae, quos tanquam summos hierophantas suspiciebat goostica aetas, auctoritate tueretur, legemque (nimirum mysticam) tanquam salutis favorisque divini fontem mystis commendaret: eaque in fraude impostor Alexandrinorum, inprimis Neoplatonicorum et Gnosticorum vulgarem morem secutus est.

2) Ut aliquam fraudi speciem compararet monumenti faber, non solum scriptura usus est phoenicia et graeca *βουστροφηδὸν* disposita, sed Olympiadem quoque addidit, quae celeberrimorum philosophorum aetatem significaret.

3) Quo tempore cusum sit monumentum, certo judicari non potest. Rerum enim gnosticarum studium, quod seculo p. Chr. II. ortum est, seculis adhuc quinto et sexto in Cyrenaica viguisse et forsan denuo effloruisse, tum Synesii exemplum docet, tum altera inscriptio, cujus aevum a Mazdaci commemoratione satis definitur. At hujus alterius inscriptionis ob analogiam, et propter turpissimum illud institutum a Mazdaco regnante Justiniano tuoc renovatum, fateor in quintum fere sextumve seculum animum meum inclinare, quanquam non negaverim, nostram inscriptionem altera antiquiorem esse posse.

4) *Authentiam* ejus, i. e. fraudem jam a Gnosticis non heri vel nudius tertius ab Anglo vel Gallo quodam commissam, uberius probare necesse non erit, eamque sententiam qui forte primo obtutu ceperint facile abjecturos esse confidimus. Ut enim taceamus, utrumque lapidem, ut diximus, hodieque asservari apud praefectum francogallicum in insula Malta degentem, virum honestissimum, satisque magnae antiquitatis speciem prae se ferre, et utrumque monumentum se invicem confirmare, utriusque ea est ratio, ut singula fere, quae his marmoribus incisa sunt, eo magis luceant et confirmentur, quo interiorem aetatis gnosticae et neoplatonicae cognitionem tibi paraveris: ueque tanta esse solet misellorum hominum, qui quaestus forte causa ad ejusmodi fraudem nostra aetate animum inducere possint, doctrina, quanta ad talia monumenta excogitanda opus esset, praesertim cum nullum simile, extat, quod imitari potuissent.

Sed haec hactenus, de pia nempe Carpocratianorum fraude, ut ad id deveniamus, cujus causa et occasione haec a nobis scripta sunt. Novo exemplo edocti estis, Carissimi Cives, in quos errorum vitiorumque voragines ab omni aevo inciderint christiani homines, ubi relictis sanctissimis S. S. sanaeque rationis a summo numine nobis concessae praeceptis levis et captiosae philosophiae (ψευδωνύμου γνώσεως I Tim. VI, 20) somnia sequi, ejusque vafris quaestiunculis tum impietati, tum absurdissimae superstitioni tum omnis generis sceleribus veri honestique speciem quaerere maluerunt. Nolite unquam aculeatis ejusmodi sophismatis verborumque ampullis, sive ad res civiles, sive ad mores et officia vestra, sive ad divinarum rerum studium pertinebunt, magis quam veri recti honestique sensui pectoribus vestris alte infixo aures praebere, et supplices potius summum numen veneramini, ut istud veritatis et virtutis pignus et Palladium Vobis integrum servet, confirmet et corroboret. Quo certius autem hoc fiat, his etiam, qui nunc instant, diebus festis frequentes adsitis in templis, ibi accipiatis purae illibataeque divinae sapientiae veraeque pietatis praecepta, ibique in Jesu servatoris natalibus renovetis, quae olim in ejus ecclesiam recepti nuncupastis pro veritate, virtute et pietate, sanctissima vota.

Lipsiae, typis Fr. Chr. Guil. Vogelii.

Inscriptio cyrenaica bilinguis.

